Path 439.
Med
~~Path~~ Spec
Fricci
~~16~~

Digitized by Google

MELCHIORIS FRICCI
MEDICI ULMENSIS

ICON PODAGRÆ

seu

Accurata delineatio

repræsentans

MORBI PODAGRICI HISTORIAM, CAUSAS, PROGNOSIN, ET CURATIONEM.

ULMÆ,
Typis Gaffenmejerianis,
1693.

Digitized by Google

S. R. J.

Illustris Reipublicæ Ulmensis

Senatui Inclyto

Viris Generosis, Maxime Strenuis, Nobilissimis, Amplissimis & Prudentissimis

DOMINIS

DUUMVIRIS, CONSULIBUS, SENATORIBUS,

Dominis & Patronis meis submisso obsequio venerandis

Perpetuam Sanitatem & Felicitatem

P.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Digitized by Google

NUnquam hic tractatus de Podagra Vobis, Viri Generosi, Maxime Strenui &c. nuncupatus fuisset, nisi is prælibationem prosperæ famæ habuisset, timuissem enim, quod dedicatio vilis & inutilis laboris vestrum Inclytum Nomẽ dehonestasset. Nam postquàm ille, antequam typis fuisset expressus, sine authoris sui nomine ad quorundam Medicorum manus pervenisset, & quasi vadum tentasset, experturus scilicet, num ad famam aliquam posset promovere, tunc dicti Viri (erant autem in arte Medica versatissimi, ceterum mihi ignoti, & quorum judicium nec favore, nec invidia erat corruptum) perlecto hoc, non solùm eum laudare, extollere, verùm etiam authorem ejus monere, incitare, ut cum luci publicæ sisteret, suum nomen proderet Quare officii mei esse credidi, eorum

rum monitis obſecundare, præprimis, cum crederer rempublicam Medicam hoc ſcripto auxiſſe: nam ſi iis non paruiſſem, ſuſpicari potuiſſent me nimis timide meas cogitationes ſupprimere, aut nimis ſuperbe eas aliis invidere voluiſſe, quod utrumque Viro literato indecorum fuiſſet. Quomodo enim reticere potuiſſem ea, quæ alii jure propalanda, & lucc publica digna eſſe judicarunt, quia non ſolum nobis, ſed etiam reipublicæ ſapere nos jubet rectaratio.

Nec mihi timendi erat ulla cauſa. Nam apud bonos & candidos cenſores meam ſcribendi libertatem facile excuſabo, ſin autem mali & invidi meam famam laceſſent, mihi arma literaria non minus in expedito erunt ad me defendendum, quam illis ſunt, ad nocendum.

Cum igitur hoc ſcriptum in lu-

cem

sem edere animo destinassem, atq; ei insuper Patronum quærerem, sub cujus auspicio, uti mos est, prodiret, digniorem & meliorem quàm Vos, Patres Conscripti, invenire non potui, tùm quia hactenus collocati temporis & studiorum meorum vobis rationem reddendam esse censui, tum quia non me fugiebat, quanto favore hactenus Musas amplexi, & quanta munificentia alumnos earum prosecuti fueritis? Quapropter etiam hic meus labor Patrocinium vestrum petit, atque sub favore vestri nominis lucem publicam aspicere desiderat, sperans non levem apud Vos se inituram gratiam, quod eam artem demereri studeat, quæ, si rem uti est existimare velimus, omniũ est nobilissima & reipublicæ utilissima. Quid enim nobilius, quàm omnipotentis Dei opera scrutari? quid uti-

utilias, simulq; præstantius, quàm ægræ naturæ suppetias ferre? quod efficere tentat hic meus labor. Ille miseris ægrotantibus in atroci malo lenimen, ille arti medicæ incrementum quærit. Etenim in eo concinnando id sedulò annixus sum, ut non solùm libros & authoritates (relinquens illum morem iis, qui omnia ex aliis authoribus corradunt, & deinde pro suis venditant) sed etiam ipsam naturam cõsulerem, atque omnia ad rectæ rationis lydium lapidem examinarem. Fallunt enim & falluntur, qui dicunt in arte Medica ita ab aliis omnia explorata fuisse, ut nihil amplius supersit, quod exactius examen mereatur; nec est, ut nostra tempora accusemus, & credamus, omnem occasionem aliquid novi & utilis scribendi nobis â majoribus nostris præreptam fuisse, imitantes

in

in eo Alexandrum Macedonem, qui invidit victoriis Philippi Patris sui, credens eas aliquando suæ gloriæ obfuturas. Nam naturæ penus inexhausta est, illa semper nobis materiam suggerit, in quâ propriam nostram industriam & ingeniũ possimus exercere, ut ita non temporum, sed ignaviæ & imbecillitatis culpa sit, abstinere ab ulteriore indagine rerum naturalium. Imprimis Medicis laborandum est, ut suam artem, quantum humano intellectui possibile est ab infamia commni liberent, quâ in ea multa adhuc incerta & perplexa esse creduntur.

Atque hæc est ratio, Patres Conscripti, quâ studium meum, & artem Medicam, Vestro splendido Nomini commendare volui, quæ arsi unquam auxilio vestro opus habuit, certe hoc tempore habet. Qui enim circumforaneus, impostor, agyrta, hodie non praxin Medicam affectat, & χερσὶν ἀνιπτοις sacra

Apolli

Digitized by Google

Apollini facit, unde timendum est, ut, nisi immodesta ambitio horum hominum Magistratus authoritate coerceatur, medicina pristinum suum splendorem plane sit perditura. Hac igitur ars opem vestram expectat, atque authoritate vestrâ fulciri cupit, hæc est, quæ in clientelam vestram recipi desiderat, & suam incolumitatem in Vestra gratia positam esse credit. Neque indigno amore polluetis dignitatem Vestram, si eam artem amaveritis, quam tot Reges & Principes suo favore dignam esse judicarunt, & in qua ipse Augustissimus Imperator noster Leopoldus aliis exemplo prait.

Quam maxime autem ego, Patres Optimi, Vos oro atq; obtestor, ut hoc munusculum Medicum benigno vultu ab ejus manu recipiatis, qui sua studia pro salute reipublica vestra devovit, & nihil magis in votis habet, quàm ut ei suis officiis utilis esse queat.

Vestræ Generos. Maximè
Stren. &c. Dignitati
Subjectissimus
Melchior Friccius
Medic. Doctor.

Digitized by Google

Proemium.

QUicunque sive Philosophi sive Medici naturæ opera describunt, & literato orbi communicant, instar pictorum seu sculptorum esse mihi videntur, qui imaginem quandam depingendam vel sculpendam sibi proposuere. Nam ut illi eam semper in oculis suis habere debent, quo ei plane similem formam in opus suum transferant; ita etiam natura est illa ipsa imago, quæ Philosophis & Medicis depingenda vel sculpenda est, & â cujus intuitu ocuos suos nunquam avertere debent, si modò veram ejus & non ina-

inanem ſpeculationum ſuarum formam in artificio ſuo exprimere velint. Cum igitur in depingenda Podagræ natura plurimorum Medicorum ſtudium hactenus quidem occupatum fuiſſe, neque tamen opus tantorum licet labore exornatum, ad eam perfectionem, ut non aliquid in eo vel corrigi, vel addi poſſet, perveniſſe, cernerem, operæ pretium eſſe duxi, etiam mei ingenii penicillum operi adaptare, atque Iconem Podagræ, ſi non omninò verum, veriorem ſaltem & ad vivum magis expreſſum mundo repræſentare; atque uti non tam ſuperbæ opinionis ſum, ut hoc meum artificium omnibus numeris abſolutum, & ita perfectum eſſe exiſtimem, ut non etiam in eo aliquid

quid desiderari queat, ita publicum judicium subire non recusabo, & ceu Apelles pone suam tabulam stans, eam contemplantium voces & judicia lubens excipiam, ut nævos ab iis ostensos corrigam, vel, si quid imperite judicatum fuerit, illud refellam. Saltem mihi judices posco Medicos prudentes & expertos, nec odii & invidiæ stimulis contra me concitatos, neque eos, qui Medicos paulò juniores tanquam indoctos & inexpertos traducunt, ut illi soli pro veris Machaonis filiis habeantur, & quibus solis salus ægrotantium committenda sit. Quanquam multis hoc meum scriptum vel ideo displiciturum esse timeo, quia non eo stylo, qui hodie æstimatur, & ingenium sæculi sapit, compo-

situm est. Est enim conscriptum stylo simplici, facili, plano, terminisque antiquis Medicis usitatis, qui verò hodie scribunt, in libris suis plerumque verborum tumorem, terminos incognitos & affectatam obscuritatem ostendunt. Hac arte multi nostro tempore eruditionis summæ famam & ambiunt & obtinent. Quippe ita cum hominum ingenio comparatum est, ut novis semper delectetur, antiquâ fastidiat, ut id, quod non intelligit, magnifaciat, & quæ ignorat, admiretur. Unde quo subtilius quis de re quapiam disserit, eo altius in naturæ arcana penetrare posse creditur, qui verò communem & antiquam scribendi rationem sequitur, vix pro docto habetur. Verum hoc subtilitatis

& novarum rerum ſtudium, quàm non eſt ea, quam in eruditis noſtris & optare & deſiderare debemus ſcientia! quam potius fucus eſt, qui ſubtilitatis inani nomine pro vera & ſolida eruditione ſimplicibus & inexpertis imponit! Non equidem carpo Celeberrimorum Medicorum, quibusnec noſtrum ſeculum deſtituitur, egregia inventa, & inſignem in indagandis Naturæ operibus induſtriam, horum maximum ſemper eſt & erit in Medicinam noſtram meritum, modum ſaltem in inveniendis novitatibus teneri vellem, neq; ea veterum, quæ etiamnum ſtare poſſunt, tanquam falſa & in utilia rejici, vel in eorum locum ea reponi, quæ nil niſi inanem novitatem in noſtram artem invehunt.

Quare me â propoſito in ſcenam prodeundi,& meam de Podagra conceptam opinionem proferendi,non abſterrebit judicium eorum, qui hunc ſcribendi modum, quo utor, forſitan tanquam communem & ſimplicem rejicient, vel ut obſoletum proſcribent. Abſit enim ut de noſtro tempore tam malè ominer, ut omnes Medicos Semelæ inſtar nubem pro Junone amplecti, & non multos veræ eruditionis nucleo magis, quàm caſſis novitatum putaminibus delectari credam,multi rem potius,formulasque ad praxin Medicam adaptatas, quàm ſpecioſa & ſesquipedalia verba, terminos obſcuros, barbaros,& locutiones ænigmaticas, de quibus jam olim diſſertiſſimus Joſephus Quercetanus con-

conqueſtus eſt, æſtimabunt, & malent mecum & cum natura ſimpliciter loqui, atque ſtatuere ſpiritum arterioſum vitalem ignis vim & virtutem obtinentem in arthritide in nimia, quàm debet, copia ad articulos deboles delatum, eos diſtendendo, lancinando, vellicando, inflammationem & atrociſſimos dolores parere, quàm cum ſubtilitatum magiſtris, neſcio quod ſulphur ſale acetoſo embrionatum, quod cum articulorum ſynovia, non ſecus ac ſpiritus vitrioli oleo tartari ammixtus ſolet, effervescat, ingenioſe magis commini ſci, quàm vere ſtatuere. Senſa igitur animi mei verbis apertis & intelligibilibus proponam, ne Lycophonis aut alterius αἰνιγματώδους alicujus Poetæ inſtar potius

(verba sunt Quercetani) quàm veri Philosophi ac Medici ritu, quid sentiam prolocutus esse videar, ut opinione nostra probè intellecta rectius & sanius de ea judicari queat secundum rationis & veritatis ductum.

Ad excusandam meam libertatem philosophandi, si cui nimia videretur, dixisse sufficiat, me eâ, quâ literatum decet, modestiâ jus meum exercuisse. Nam uti semper mihi religiosum esse duxi, sine ratione à magnorum virorum auctoritate abscedere, sic, si desit ratio, eorum partes tueri, in animum meum nunquam inducere potui. Quanquam, quod vereor, nec decens scribendi libertas ab invidia me vindicatura sit, præsertim hoc tempore, quo multis

solen-

ſolenne eſt, alios in ſuis ſcriptis laudare, ut illi ab aliis iterum laudentur; ita ſæpius veritas odium, obſequium amicos parit. Verùm animus ad libertatem pronus ſervire erubeſcit, atque eam gratiam, quæ adulando quæritur, planè faſtidit, eam denique veram gloriam & ſcientiam eſſe credit, quæ veritate parta eſt. In reliquis fateor, omnem reverentiam & obſequium debeo clariſſimis Medicinæ Myſtis, atque eos, ut quæ ad artis noſtræ incrementum inſervire poſſunt, potius meeum conferant, quam inutili livore meos conatus perſequantur, eſt quod obnixe precor & opto.

CAPUT I.

De Podagræ ſignis diagnoſticis.

POdagra nomen Græcum eſt, pedum affectum ſignificans & derivatur â Græco vocabulo πὸς & ἄγρα captura, ut ſi Podagricum, quaſi pedibus captum diceres, non ſecus ac phrenetici & maniaci mente capti dicuntur. Appellatur alias etiam hic morbus arthritis, & affectum generalem omnium articulorũ denotat; quia verò in arthritide utplurimum pedes afficiuntur, uſus obtinuit, ut à potiore facta denominatione, quivis dolores arthritici Podagræ nomine inſignirentur, licet etiam præter eam denominationem particularis articuli cujusvis dolor ſuam propriam appellationem habeat, ut dicatur vel chiragra, ſi manus; gonagra, ſi genua; mentagra, ſi mentum fluxione arthritica tentetur.

De Podagra verba facturus mihi an-

re omnia agendum venit de hujus morbi signis diagnosticis, per quæ in ejus notitiam pervenimus, & qualis ille sit, & quomodo ille ab aliis morbis distinguatur, docemur, cum alii Practici, præter Felicem Platerum & de Le Boe Sylvium, perversa methodo doctrinam de causis morborum, ei de signis diagnosticis præmittant. Nam mihi ante omnia inquirendum est, qualis sit morbus, antequam inquiro, unde sit, & quam causam habeat: deinde examinandum est, an Podagra curari possit, & qualem eventum habitura sit; ultimo, si curationem admittat, quomodo ea instituenda sit, dicendum erit.

Est autem Podagra articulorum dolor unâ cum motus impotentia, tumore, rubore, quandoque febre, partis affectæ pulsatione, certis intervallis, subito, modo manum, modo pedem, modo genua, vel alium articulum, modo omnes articulos simul invadens, infestans, & tandem in iis tophos, nodos, nonnunquam calculos, tumores œdematosos progenerans. A 6 Do-

CAPUT I.

De Podagræ signis diagnosticis.

POdagra nomen Græcum est, pedum affectum significans & derivatur â Græco vocabulo πȣ̃σ & ἄγρα captura, ut si Podagricum, quasi pedibus captum diceres, non secus ac phrenetici & maniaci mente capti dicuntur. Appellatur alias etiam hic morbus arthritis, & affectum generalem omnium articulorũ denotat; quia verò in arthritide utplurimum pedes afficiuntur, usus obtinuit, ut à potiore facta denominatione, quivis dolores arthritici Podagræ nomine insignirentur, licet etiam præter eam denominationem particularis articuli cujusvis dolor suam propriam appellationem habeat, ut dicatur vel chiragra, si manus; gonagra, si genua; mentagra, si mentum fluxione arthritica tentetur.

De Podagra verba facturus mihi an-

Digitized by Google

te omnia agendum venit de hujus morbi signis diagnosticis, per quæ in ejus notitiam pervenimus, & qualis ille sit, & quomodo ille ab aliis morbis distinguatur, docemur, cum alii Practici, præter Felicem Platerum & de Le Boe Sylvium, pervertsa methodo doctrinam de causis morborum, ei de signis diagnosticis præmittant. Nam mihi ante omnia inquirendum est, qualis sit morbus, antequam inquiro, unde sit, & quam causam habeat: deinde examinandum est, an Podagra curari possit, & qualem eventum habitura sit; ultimo, si curationem admittat, quomodo ea instituenda sit, dicendum erit.

Est autem Podagra articulorum dolor unâ cum motus impotentia, tumore, rubore, quandoque febre, partis affectæ pulsatione, certis intervallis, subito, modo manum, modo pedem, modo genua, vel alium articulum, modo omnes articulos simul invadens, infestans, & tandem in iis tophos, nodos, nonnunquam calculos, tumores œdematosos progenerans. A 6 Do-

Dolor Podagræ ita familiaris est, ut vix Podagra dici mereatur, si sit absque dolore, licet etiam multi Podagra laborent, qui vix ullum sentiunt dolorem. Hic autem ut plurimum sævus est & admodum, inflammans, unde Cicero Podagricos ardere doloribus articulorum dicit, & quidam Podagrici affirmant, sibi non aliter esse, ac si cera Hispanica igne liquata in artus instillaretur. Immo tanta quandoque doloris acerbitas adest, ut præ cruciatu multi dies noctesque ejulent, alii deli quia animi patiantur, nonnulli præ doloris immanitate violentas manus sibi inferre coacti fuerint. Sævos Podagræ dolores admodum eleganter descripsit Lucianus Tragoed. Podagr. his versibus:

Per membra acutum jaculum quoddam infigitur mystis,
Non apparens, latensque penetrans sub recessus artuum
Pedem genu cotylam, talos, coxos, femora,
Manus, scapulasque, brachia, ossium processus, carpos.

Edit,

Edit, depascitur, occupat, urit, inflammat, enervat.
Usque dum Dea dolorem abire jusserit.

Uti autem dolor atrociſſimus in lue Venerea oſſium medietatem magis occupat, ita is in Podagra ad oſſium capita & ubi invicem coarticulantur, oſſium junctura appellant, conſiſtit. Incipit fere ſemper ab articulo pollicis in pede ſiniſtro, inde ad alios poſtea articulos exporrigitur, & quaſi ad genua aſcendere ſentitur. Podagra ſeu arthritis eſt quandoque particularis, quandoque univerſalis. Particularis ſolummodo unum alterumve articulum vexat, univerſalis omnes totius corporis artus excruciat. Ipſe arthritide univerſali decumbentem juvenculam aliquando tractavi, cui omnes corporis artus ita inflammabantur, ut præ doloris ferocia ferè vitæ periculum adierit. Quandoque dolor arthriticus in uno loco ſiſtitur, & appellatur verè Podagra; quandoque modo ad hunc, modo ad illum articulum fertur, & dicitur arthri-

arthritis vaga scorbutica. Johann Fortis distinguit inter dolorem arthriticum & podagricum; hunc inquit in uno loco consistere, neq; tam magnum, acerbum esse; illum mobilem, vagum, acerbiorem, sæviorem, & modo hanc modo illam corporis partem occupantem.

Inseparabile Podagræ symptoma est motus impotentia, quia nullus est podagricus, qui non in motu impedimentum sentiat, quidam ad levem pedis vel manus motionem tantum dolorem habent, ut clamitare cogantur. In lue Venerea adest quidem intollerabilis artuum dolor, sed non tanta motus adest impotentia, ut in Podagra, quia ibi officium medietas magis, quam eorum principium patitur. Tumor in Podagra partes affectas inflat, qui adeo erysipelati similis est, ut podagrici in primâ morbi invasione, & nondum cognitâ ejus natura erysipelatis nomine sese consolentur. Hoc autem notarunt Practici dolorem podagricum multo infestiorem esse nondum præsente affe-

ctæ

æ partis tumore, qui eo ſuperveniẽte remittit. Huic tumori partis affectæ rubor, pulſatio, venarum intumeſcentia aſſociantur, tandem verò is non ſuppuratur, ut alii tumores calidi, ſed ſenſim reſolvitur. In dolore iſchiatico, licet etiam is inter arthriticos affectus numeretur, propter loci profunditatem nec tumor, nec rubor conſpici poteſt.

Febrem ſynocham vel intermittentem, Podagram comitari, ſæpius accidit, quæ quia non eſt adeo magna, febricula potius dicenda eſt, qualis eſt ea, quæ inflamationibus, erysiperati & aliis doloribus externarum partium ſupervenire ſolet; quanquam multi ſint, qui eam doloribus non ſupervenire, ſed iis ſtatim adeſſe, immo eôs prævenire contendunt.

Certis intervallis ægrotos podagra adoritur, atque quàm maxime vere & autumno: nam uti una hirundo non facit ver, ita unus paroxiſmus non Podagram; morbo autem incrementum ſumente, numerus paroxiſmorum etiam per annum augetur, qui juxta a-

pho-

phoriſmum Hippocratis intra quadraginta dies, quandoq; citius quandoq; tardius pro morbi viribus, deſinunt. Unde Carolus Piſo p. m. 392. d. morb. extern. habit. ex colluv. ſeros. &c. *ſunt* "*febres*, inquit. *infeſtæ atrociſſimis arti-* "*culorum doloribus, qui tamen non perio-* "*dice ſingulis annis bis quaterve, uti ii, de quibus ante, repetunt, ſed ſemel atque iterum in vita duntaxat ingruunt, unde minime arthritici vocandi ſunt: una ſiquidem hirundo non facit ver.*

Subito invadit Podagra non ſenſim, uti lues Venerea, & alii morbi chronici ſuas augendo vires, ſed eas uno quaſi impetu in hoſtem effundendo, quæ omnia, uti & multa alia, cum eryſipelate, ophthalmia, odontalgia, cõmunia habet. Galli propter velocem Podagræ invaſionem la goutte, Itali la gotta eam appellant, quo nomine etiam apoplexia ab iis inſignitur, quia materia peccans non ſecus ac gutta parti affectæ inſtillatur.

Tandem in Podagrâ tumores oedematoſi accedunt, nec non ſubluxationes,

ones, & articulorum dislocationes, item nodi & tophi, propter quos Podagra nodosa appellatur, atque hæc sunt morbi veteraſcentis indicia. Petrus Foreſtus libr. 29. obſerv. 10. in Noſocomio Delphenſi Podagricum decubuiſſe refert, qui induratam materiam inſtar cretæ, ex articulis eximebat, quâ parietes & tabulata non aliter ac creta depingebat. Ex his nodis & tophis ruptis, putefactis materiam albam calciformem effluxiſſe obſervarunt multi. Johannes Schenkius obſerv. medic. libr. V. obſerv. 157. ex Julio Alexandrino notat, tophaceam quandam eſſe humoris ſubſtantiam, nec minore tamen interdum conſiſtentia, quàm renum ipſorum calculi ſunt, quales magnitudine inſigni, de pedis pollice extractos Hungaro primati Viro candicantes ſe vidiſſe. Exempla plura ex aliis authoribus collecta loco citato legi poſſunt.

Membra etiam à fluxione podagrica obſeſſa exeduntur, & depaſcuntur referiq; Felix Platerus libr. 11. obſerv.

de

de habit. corpor. dolor. se per sectionem anatomicam membra podagricorum sinubus ductibusque oblongis ita perforata observasse, ac si tineis & xylocampis fuissent exesa.

Præter enumerata symptomata etiam alii morbi Podagræ conjungi solent, inter quos præcipui sunt nephritis & hæmorrhagiæ. Et sane nephritis morbo podagrico ita familiaris est, ut hos duos morbos ab iisdem & similibus causis produci, & quidem verissime, crediderint multi Celeberrimi Medici. Hæmorrhagias etiam podagricis non raras esse ipsa docet experientia.

Atque hæc est vera & genuina symptomatum & signorum diagnosticorum Podagræ historia. Succedit jam omnium enarratorum, ut me verè dogmaticam præstem, causa investiganda.

Cap.

CAPUT II.

De Cauſis Podagræ.

CAuſam Podagræ nec non aliorum morborum ritè diſtinxeris in materialem & efficientem. Materialis eſt, â qua immediate morbus producitur; efficiens eſt, â cujus directione cauſa materialis dependet, atque ut lignum, lapis, argentum materia eſt ex qua imago ſculpitur, ſculptor vero cauſa efficiens, qui materiam illam ita formar & præparat, ut vel hominis vel equi vel alterius rei effigies prodeat; ita ex cauſa materiali quidem morbi conſtant & producuntur, cauſa verò efficiens morborum ita eam dirigit, ut hic vel ille morbus ſpecifice producatur. De materiali imediata Podagram producente cauſa magna eſt opinionum varietas & multitudo, ut omnes recenſere & examinare inſtar magni operis eſſet, nulla enim inter eas eſt, quam non maximæ premant difficultates; ceterum quod etiamnum de eâ diſceptetur, & indies novæ de ea opiniones

niones producantur, satis indicat, nec-dum inter Medicos conventum esse, cui potissimum causæ atrocitas doloris podagrici imputanda sit; nobis igitur sufficiet præcipuas opiniones paucis & proposuisse & refutasse.

Paræus cap. 11. libr. Chirurg. 17. humorem qui arthritidem committit non notioris esse naturæ, aut magis effabilem statuit, quàm qui luem Veneream, pestem: argumenta ejus sunt, quia tumor in arthritide non suppuratur; quia is tandem fit nodosus, tophosus, vel in gypseum quid induratur; quia humor podagricus intollerabiles dolores excitat, & remediis usitatis non tàm curatur, quàm ulterius irritatur, exinde concludit, naturam humoris arthritici malignam, occultam esse. Verum hæc â Viro alias clarissimo prolata non tantæ sunt efficaciæ, ut quenquam ab indagandi studio absterreant, ad singulas Paræi rationes deinceps respondebitur, ubi omnium in Podagra concurrentium symptomatum causa reddetur, atque etiam docebitur, quo-

modo

modo curatio ejus instituenda sit, ut nostram sententiam proposuisse idem sit, ac illam Paræi refutasse.

Antiquitas biliosos humores pro causa Podagræ agnoscit, atque iis sanguinem in tormenta podagrica acui credit; verùm in bile non tantam esse acredinem, quæ ad dolores podagricos producendos sufficiat, satis superque probant ictetici, quorum tota massa sanguinea bile inquinata est, & per totum habitum corporis diffunditur, qui tamen de nullis conqueruntur doloribus, probant itidem illi, qui magnam materiæ biliosæ saburram in stomacho sibi accumulant, & tamen exinde nullum ventriculi dolorem, nullam ejus inflammationem sentiunt. Quidam recentiorum Medicorum ulterius instant, & dicunt, si Podagra esset à bile acida essent optima Podagræ remedia, quia bilem infringunt; cùm tamẽ ea usurpata malum magis exasperent, quam tollant. Ego vero dico, acida non semper esse podagricis noxia; immo quandoque cum summo fructu à Celeberrimis

rimis Medicis in usum tracta fuisse, atque ideo hanc rationem contra antiquitatem non allegari posse.

Multo minus pituita accusari meretur, quia ea omnis mordacitatis expers est, humor verò in Podagra peccans ut plurimum acer, mordax, inflammans est, præterea pituita lenta est viscida, atque ad influxum celerem humoris podagrici, qui mobilis esse debet, nimis tarda & inepta.

Cruditatem humorum vitiosorum cum Gregor. Horstio & aliis accusare desinet, qui podagricorum temperamentum ut plurimum præcalidum, humores magis adustos acres, perassatos, calidi potius excessum, quàm defectum, qui cruditatis causa est, indicantes, considerat.

Melancholia quidem humorum acrium, salsorum ferax est, quæ tamen pro causa Podagræ non haberi potest. Nam multi reperiuntur Podagrici, qui animo sunt læto, ingenio vegeto, in actionibus suis prompti sunt, parati, consortia hominum amant, quæ omnia magis

magis ſanguineum, quam melancholicum temperamentum arguunt; ſi verò forte articularibus doloribus ſympromata melancholiæ hypochondriacæ ſe aſſociant, tunc illi morbi ſunt invicem diſtincti potius, quàm ut unus ab altero dependeat.

An ſanguis pro cauſa Podagræ haberi queat, deinceps dicetur.

Noſtra ætas in perveſtigandis cauſis Podagræ feliciorem ſe eſſe credit, quàm antiquam. Illa in ſalium acrimonia cauſam doloris podagrici inquirit, & pro ſua aſſertione nihilominus authoritatem Hippocratis antiquiſſimi Medici citat, dicentis, non calidum & frigidum &c. ſed acidum, amarum ſexcentos procreare morbos.

Paracelſus & ejus aſſeclæ ſulphur ſale aceteſo embrionatum in Podagra peccare dicunt. Helmontius acidum peregrinum Archæum articulorum inficere, & hoſtili ſuo acore maximos membris affectis dolores inferre contendit. Hi vero Authores ſententiam ſuam tantâ obſcuritate proponunt, ut

qui

qui eos semper intelligere velit, Oedipo consultore opus habeat.

Plerique immo fere omnes Medici hodie culpam mali podagrici in sal acidum rejiciunt, quod fibrillas nervosas partium membranosarum circa articulos rodendo, pungendo, vellicando ingentes dolores cieat, licet quomodo haec sententia, quae hodie ferè pro catholica habetur, defendi queat, nondum scire potui. Nam multa sunt, quae Podagram excitant, quae (tantum abest ut de natura acidi participent) plane acido contrariam virtutem & saporem habent. Sic atomata Podagram progignere nemo Practicorum ambigit, quis vero ea non potius in salis alkalini classem, quàm acidi referat? Spiritus vini non solum acido sale caret, verùm etiam illud plane destruit, unde spiritus vini cum spiritu salis destillatus eum suo acore spoliat, & dulcificat, & tamen spiritus vini non minus potens est in procreanda Podagra, quàm ulla alia res. Iram à bile, quae lixivioso sal refert, esse, vulgo creditur,

tur, unde ea ad humoris acidi generationem nil quicquam conferre poteſt, quomodo vero ſit, quod illa podagricis tam noxia ſit?

De Venere idem ſit judicium. E contrario acida podagræ medelam quandoque attuliſſe viſum eſt. Sic acidulæ à multis podagricis cum fructu fuerunt epotæ. Ipſe Hippocrates libr. d. humid. uſu cap. 8. verſ. 15. acetum in podagra laudat, modo corpus non ab eo vulneraretur, & Felix Platerus capit 16. de habit. corpor. dolor. curat. p. m. 719. teſtatur, ſe nonnullos cognoviſſe, qui aceti per dies aliquot uſu, quosdam potione Loræ ex berberibus prunis, pomis & pyris ſylveſtribus aliisque auſteris & acidis paratæ à podagra ſe minus infeſtatos fuiſſe aſſeveraverint. Cnoeffelius erat Vir in podagra curanda celebris, ille pro curatione podagræ interne & externè dederat liquorem qui erat acidiſſimus & in quo ſpiritus vitrioli manifeſte præpollebat, cujusque exhibitionem per multos menſes continuaverat. Johan. For-

tis, Schrœderus Viri in extirpando malo podagrico exercitatissimi & felicissimi pro illinitione membri podagrici spiritum salis non obstante quod acerrimus sit, extollunt. Hæc omnia autem uti sufficienter probant, ne minimum quidem sal acidum ad generationem Podagræ conferre, sic quomodo ille acor, si daretur, cum sanguine (quin, antequàm is ad articulos perveniret, sanguinem coagularet, & lethalia symptomata produceret) circulari posset non video.

Non minus admodum dubium est, sal aliquod causticum, corrosivum, quod tamen doctissimus alias Josephus Quercetanus vult, dolorum arthriticorum parentem esse. Nam ut non jam dicam istiusmodi sal causticum, quale Chymici beneficio ignis præparant, in corpore nostro propter ignis istiusmodi defectum non generari posse, sanè remedia contra podagram propinari solita, quia non sunt hujus virtutis, ut sal aliquod causticum corrigere valeant, ejus in corpore nostro præsentiam negant. Qui

Qui nodos & tophos podagricos materiâ calciformi turgentes, in quos sæpius tumores podagrici exsiccantur, contemplati sunt, illi pro causa arthritica tartareum quid sibi comenti sunt: hanc verò tartaream seu calciformem materiam non causam, sed effectum podagræ esse, postea demonstrabitur. Tartarum in vino contentum, sive subtilis sit, sive ille crassus communis, & quem ad articulos delatum membranosas ejus partes suis spiculis vellicare, iisque dolorem inferre communiter dicunt, innoxium esse probat, quod tartarus vini egregia remedia contra Podagram suppediret: ceterùm quod vinum Podagricis tàm noxium deprehendatur, illud non ab ejus particulis tartareis, quibus refertum est, provenire, verùm aliam causam subesse suo loco dicetur. Quid denique afferetur de Venere, ira & aliis rebus, quæ non minus quàm vinum tempestatem arthriticam ciere valent, & tamen tartari nihil in se possident, nec ad tartari productionem quicquam contribuere possunt.

Cnœffelius contendit sal quoddam peregrinum, amarum, acutum, ponticum, cum dulcissimo illo articulorum sale Synovia commiscerì, per salium diversorum mixturam, ebullitionem, incendia, dolores, turbas in articulis excitari, non secus ac si acetum lacti confundas, vel si spiritus vitrioli cum oleo tartari effervescentiam excitat. Similia ferè proponuntur â Thom. Willisio, ille succum nervosum acidum ad articulos delatum cum humore lixiviali antea prius ibi congesto effervescere, ex eorum effervescentia mutua fibras nervosas vellicari, lancinari, variis rationibus probare nititur, verum hæc omnia speciosè magis dici, quàm probari modo patebit. Interim miror Cnœffelium insignem alias Chymicum sal arthriticum modo amarum, modo acutum nominare, eumque cum aceto lacti infuso comparare. Nam si ad hanc salium luctam eorum diversitas requiritur, acidum certe sal sit necesse est illud, quod cum synovia dulci, vel liquore lixiviali effervescere debet,

bet, amarum vero ad incundam pugnam plane ineptum erit. Willisii opinionem quod concernit, fateor, me non capere posse, quomodo succus acidus per nervos notabili cavitate destitutos & quidem tam celeriter ad articulos deportari possit, ut ibi effervescentiam cum suo inimico sale concitet, præprimis in ea podagra, ubi humor arthriticus quasi in uno momento ab uno articulo ad alium transfertur, quam alias vagam appellant, uti etiam ante duos annos mihi observare licuit. cuidam militi ophthalmia laboranti, propter repellens medicamentum oculo applicatum humorem peccantem subito ad pollicem pedis translatum fuisse & ibi dolorem podagricum generasse, an jam hæc translatio tam celer per nervos fieri potuerit, aliis cogitandum relinquo, multo minus autem quomodo succus nervosus acidior factus sine prævia nervorum, qui nullam acredinem ferunt, vellicatione & convulsione ad articulos ferri possit, intelligere possum. Ut operose jam non

oſtendam nullum ſuccum nutritium per nervos pro nutritione partium corporis deferri poſſe, quia, uti jam dixi, nervi omni notabili cavitate deſtituti, atque ideo ad officium hoc obeundum plane inepti ſunt, nullus etiam anatomicorum hactenus fuit, qui hunc ſuccum ad oculum demonſtrare potuit. Nec me multum movet, quod nervis morbo aliquo obſeſſis, vel iis abſciſſis membra contabeſcāt, ut credam ſuccum aliquem nutritium per nervos ad membra deportari, cum vasa nervis obſtructis vel abſciſſis ad membrum aliquod non pervenire poſſe. Hoc enim argumento nihil ulterius evincitur, quàm ad nutritionem partium perficiendam virtutem animalem cum vitali neceſſario conſpirare debere, quæ conſpiratio & facultatum cōmunicatio nervis læſis tollitur. Nam, uti fibræ nervoſæ inteſtinorum & meſenterii, ſi omni ſenſu & motu deſtituerentur, ſuccum chiloſum per inteſtina & vaſa meſariaca non propellerent, ita fibræ partium nervoſæ ſuccum chiloſum per

arterias

arterias benigne licet partibus à natura ſubminiſtratum non ad ſe rapient, & in nutrimentum partium convertent, ſi ſint ſenſu & motu privatæ, &, ſi facultatem animalem ſpectes, mortuæ.

Sylvii opinionem ſtatuentis ſuccum Pancreaticum & bilem vitioſam cum humore ſalivali præternaturaliter effervescere, atque ex eâ vitioſâ effervescentiâ tela arthritica cudi, falſitatis arguit, quod hæc vitioſa effervescentia, ſi in inteſtino duodeno contingeret, neceſſario aliqua de ſe indicia proderet, vel alius morbus podagræ præluderet, quod tamen non ſit, cum ante podagræ invaſionem circa ventriculum & inteſtina ſint pacata omnia, tempeſtate arthritica ſolos articulos inundante, niſi forte in principio propter ſanguinis orgasmum, & immenſos dolores cordis anxietas & febris ſupervenit.

Qui acrimoniam ſcorbuticam ſanguinis in Podagra peccare dicunt, nihil aliud, quam veterem rem novo vocabulo exprimere videntur, quid enim

ea fere aliud est, quàm attabilis Veterum?

Sed sufficiat jam difficultates, quibus aliorum opiniones de causa podagræ materiali premuntur, paucis enumerasse, opus jam est, meam hac de re sententiam proponere.

Quæro autem causam podagræ materialem non in salibus acribus, acetosis, spiritibus sylvestribus, tartaro subtili, infernali quibusdam dicto, vel aliis rebus aliunde per cibum, potum, aërem humoribus nostris impertitis, sed in ipsis humoribus, sero scilicet & sanguine; & certe illi ipsi sunt, qui citra aliarum rerum mixturam & auxilium tragœdiam podagricam peragunt.

Antequam autem inquiro, quid ad podagræ generationem possint serum & sanguis, necesse est, horum humorum naturalem statum, officia, & utilitatem præcesse, ita enim eo melius intelligetur, quantum it ad Podagræ productionem conferant, quia ex status naturalis cognitione in præternaturalis notitiam sæpius manuducimur.

Scien-

Sciendum igitur, quo in corpore noſtro neceſſaria fieret deperditi reparatio, naturam animalibus & homini famen ſeu appetitura ciborum capiendorum ingeneraſſe, qui à fermento acido ventriculi ſua acrimonia membranas ejus rodente & vellicante exoritur. An illud fermentum in ipſo ventriculo elaboretur, an aliunde proveniat, jam non inquiro, quanquam pronior ſim, ut credam, illud in ipſa ventriculi interiore glanduloſa membrana perfici, illud interim certũ eſt, hunc humorem, qui ab officio ſuo fermentum, à ſapore acidus audit, ventriculo cibis vacuo, quando non objectum habet, in quod agat, ipſum ventriculi orificium laceſſere, atq; hominem ad cibum capiendum incitari, quo per os ſumpto, dentibus maſticato, humore ſalivali ad futuram fermentationem in ventriculo præparato, dum fermentum ad eum comminuendum & incidendum convertitur, & à ventriculo avertitur, ſimul etiam ipſam famen reſtingui neceſſe eſt. Non autem cibi in ventri-

culo ritè fermentarentur, nisi humore aquoso (quia salia juxta Chimicorum axioma non agunt nisi dissoluta) diluerentur, in quem finem natura sitim excitat, quæ plerumque cibos sumptos subsequi solet, & humidi aquei appetitus est. Hæc ciborum fermentatio etiam quàmmaxime tàm â calore ventriculi proprio, & per sanguinem arteriosum ei subministrato, quàm à calore partium ei adjacentium adjuvatur. Cibi, dum spirituosum injiis quod est, statim sanguis ad se rapit, sibique vendicat, in ventriculo ita fermentati, atque in chilum versi statim ac per inferius ventriculi orificium ad intestinum duodenum deferuntur, aliam â bile per cholidochi ductum in intestinum duodenum sese effundente & chilo immixto mutationem subire coguntur. Factâ enim ibidem inter diversa bilis & fermenti salia, symbolum etiam suum addente succo pancreatico, levi effervescentia, amarum bilis & acidum fermenti non secus ac spiritus vitrioli tartari oleo ammixtus, agunt invicem,

bilis

bilis deſtruit acidum, & acidum bilem, & ambo mutantur in ſalſum ſub dulce, quemadmodum etiam acetum injecto minio ſuam aciditatem amittere, & in ſaccharum Saturni præcipitari videmus. Eſt etiam alius non minus conſpicuus bilis uſus. Ipſa enim, ut una fidelia duos dealbaret parietes, dum cum chilo acido efferveſcit, eumque alterat, alterata & ipſa feces, partem chili craſſiorem & terreſtriorem ab utili ſeparat, atque in excrementum ſub dulce (notante Helmontio cap. de ſextupl. digeſt. aliment. human.) neque de amarore bilis, neque de fermento acido quicquam referens, præcipitat. Alibilis & liquida chili pars per lacteas venas Aſellii, ad ductum thoracicum Pequeti, cujus orificium in venam axillarem ſiniſtram deſinit, amandatur, ubi ſeſe exonerans, cum ſanguine circulando ad cor mittitur, non ut ibi (uti vulgaris fert opinio) in ſanguinem mutetur, neque ut permanens ſerum, ſit ὄχημα τῆς τροφῆς id eſt, ut ſanguini pro vehiculo inſerviat, ſed ut ſub

forma lymphæ unâ cum sanguine arterioso ad viscera & omnes corporis partes propellatur, & ipsum sit earum nutrimentum seu nutritionis materia. Nam quis sanguinem arterioſum humorem calidiſſimum, (hunc enim potiſſimum nutrire ajunt,) ad conſumendum potius, quàm nutriendum aptum, cedere partibus in nutrimentum amplius crederet? quod tamè à quamplurimis hactenus firmiter fuit creditum. Lympham verò, ſerum ſanguinis aliàs dictum, nutrire ſatis ſuperq; probant affectiones diabeticæ, fluxus uterini, ſudores, catarrhi colliquativi, phthiſis & ſimiles morbi, ſeri jacturam inferentes, qui, dum humores ſeroſos copioſe ex corpore educunt, ſimul etiam nutrimentum partibus ſufurantur, & hominem ad tabem deducunt. Pari modo in hydrope, dum particulæ ſeri nutritiæ in abdominis cavitatem deſtillant, ventremque in tumorem attollunt, reliquæ corporis partes ſuo nutrimento privantur, attenuantur, & neceſſariò contabeſcunt. Propter

pter ſimilem rationem, quia ſalivam, urinam, ſudorem moventia remedia laticem nutritium partium imminuunt, habitum corporis emaciare obſervantur. Sic quidam obeſus, ſi Borello centur. ij. obſerv. XII. fidimus, maſticando folia nicotianæ ſuam obeſitatem diſpulit. Alii per ſalivationem â Mercurialibus remediis concitatam extenuati fuerunt, vide Mich. Ethmuller. diſput. d. nim. obeſit. Lacca juxta Joh. Langium libr. 1. epiſt. 65. obeſitatis eſt remedium, & diuretica, Guajacum, ſaſſafras & alia calida diaphoretica pro diſſolvendo corporis habitu â Medicis præſcribi ſolent. Neque poſſibile eſt chilum in tantilli temporis ſpacio, & quaſi momento, quo per cor & pulmones tranſit, in ſanguinem converti, cum iſtiusmodi transmutatio multò majorem moram repoſcat, & quia ſanguis poſt paſſum è vena inciſa emiſſus, idipſum etiam obſervante Guilelmo Harvæo libr. de generat. animal. ſcap. 52. non obſtante quod jam cor ſanguificationis (uti putant) officinam

officinam transierit multo serosior & chilosior appareat, quàm post longum jejunium, satis idoneum argumentum est, chilum, (cujus aliqualem â sanguine subactionem non negamus) sub schemate lymphæ seu succi chilosi permanere, & non in sanguinem conversum fuisse, cujus deinde pars maxima & inutilis per renes & corporis poros excernitur. Neque probabile est, chilum, si in sanguinem conversus fuisset, iterum in humorem album, quod tamen necesse esset, commutari. Volunt enim Medici, tàm membranas, nervos & alias corporis partes spermaticas dictas, sanguine nutriri, quàm carnem, licet etiam ea ipsa sit maximâ ex parte spermatica, & rubicundam magis tincturam â sanguine mutuet, quàm ut verè ab eo nutriri dici possit. Sanguinis autem officium est, calore suo vivifico partes corporis nostri fovere, particulas lymphæ nutritias motu suo pulsativo ad partes deferre, eas ibi digerere, alterare, & hoc modo ipsam partium nutritionem adjuvare.

Qua-

Quapropter ut veteres ſerum eſſe ὄχημα τῆς τροφῆς nutrimenti vehiculum eſſe dixerunt, ego inverto, & dico ſanguinem eſſe vehiculum nutrientis ſeri. Duo igitur ad partium nutritionem requiruntur, 1. materia nutritionis, quæ eſt lympha ſeu pars chiloſa ſanguinis. 2. cauſa efficiens nutritionis, quæ eſt ſanguis arterioſus & ſpirituoſus. Uti enim plantæ, herbæ, arbores, ut creſcant & nutriantur, non ſolùm aquoſo humore opus habent, verùm etiam calore ſolis inſuper indigent, qui aqueas moleculas ad nutritionem aptas attrahat, moveat, alteret, atque facultatem plantarum & arborum vegetabilem ſopitam & quaſi mortuam excitet, quæ tempore hyberno eo calore deſtitutæ, ſimul etiam omni nutriendi & creſcendi virtute privantur, ſic etiam corporis animalis partes non nutriri & creſcere poſſent, niſi benigno ſolis Microcoſmici (ſcilicet ſanguinis) calore perfundantur, qui potentiam illam nutritivam partibus inſitam in actum deducat. Uti autem Hippocrates d. diæt.

num.

num. 4. citante eum Joh. Forti consil. 87. centur. iij. tom. 1. ignem omnia per omnia movere, aquam omnia per omnia nutrire posse dixit, (confer etiam Boile in suo Chimico Sceptico) ita ego dicam, sanguinem arteriosum ignem microcosmi nostri omnia per omnia movere, lympham verò, quæ unâ cum sanguine in omnibus etiam vilissimis corporis partibus præsens est, & esse debet, omnia per omnia nutrire. Præter dictum lymphæ usum est etiam alius, nempe ut ea ad glandulas deducta materiam pro humoris salivalis, mucosi, in sequiore sexu pro lactis elaboratione suppeditet. Lymphæ sive quantitate superfluum quod est, sive qualitate noxium & ad nutritionem ineptum, per insensibilem transpirationem, sudorem, urinam è corpore eliminatur; terrestrior etiam ejus pars, quia ea in intestino duodeno non ita exactè â bile separari & præcipitari potuit, quin infinitæ moleculæ terrestres invisibili modo lymphæ permixtæ adhuc permanerent, itidem per insensibi-

lem

lem transpirationem, per sudorem, urinam expurgatur, & sordium præpti-mis interstitiis manuum, pedum, aurium cavitati adhærentium, nec non tophorum ad oculi canthos nascentium, sabulique in urina subsidentis materiam constituit; sanguinis grumosum quod est, postquam pro vehiculo spirituum vitalium inserviit, per venas ad cor revehitur, ut inde novos spiritus petat, atque eorum in opere nutritionis deperditorum jacturam ibi reparet.

Hi verò duo humores, si justo modo & quantitate partes corporis nostri perluant, si intra limites suos debito modo se contineant, nec nimis licentiosè extra eos vagentur, tunc etiam corpus nostrum optima sanitate perfruitur, si verò ii immodice effervescant, & tumultuari incipiant, si vel sensim & sensim in partibus colligantur, vel uno quasi impetu in eas ruentes eas inundent & quasi obruant, tunc vix malum est, quod hominem non exerceat. Exinde enim omnis morborum caterva

va tanquam ex equo Trojano progreditur exinde incendia, inflammationes, epilepsiæ, apoplexiæ, catarrhi, vomitus, dysenteriæ, lienteriæ, immensi dolores, atrocissimi cruciatus, immo ipsæ affectiones arthriticæ oriuntur.

Et quidem primò serum quod attinet, illud ex vasis sanguiferis in articulos depluens arthritidis causam esse jam olim agnoverunt Piso, Crato, Sennertus & alii. Crato libr. 4. epistol. medicin. *fateor*, inquit, *serosum humorem certo modo auctum podagræ præcipuam causam esse*, & paulo post; *indicio est, quod qui frequenter sudant, copiose mingunt, ab ea tuti sint, quibus suppressis malum præsentibus est.* Sennertus quæstione 6. d. arthrit. inquit *Carolus Piso in libr. d. morbis ab illuvie seros. consil. de arthrit. unicam arthritidis causam colluviem serosam esse dicit; quæ sententia, si recte explicetur, omnino vera est, in ea autem fallitur, quod serum illud puram putam aquam credit, cum symptomata & ea, quæ arthriticis accidunt, longe aliud edoceant.* Atque in eo Piso à Senner-

to juste reprehenditur, quis enim illos immensos dolores, quibus arthritici affliguntur, quisillas articulorum inflammationes, quis nodos, tophos, tumores materiâ calciformi repletos, â purâ aquâ oriri cum Pisone credat? Nam ut illi nodi, & tophi terrestre quid sero inesse arguunt, sic illi dolores implacabiles, inflammationes summam humorum acrimoniam, cujus solum serum vix capax est, ostendunt. Porro, uti quandam arthritidis speciem â sola fluxione seroſa oriri posse Pisoni concedi potest, ita omnem ab eâ derivari falsissimum est, quia non eadem sunt semper podagræ symptomata & curationes, sed diversæ, quæ diversitas non semper unam & eandem morbi causam esse sufficientissime demonstrat.

Ut autem eo melius & penitius in causam podagræ inquirere possim, nihil magis mihi in hunc finem inservire potest, quàm exemplum ophthalmiæ, quam non inepte ophthalmagram appellaveris, ita enim per cognitionem

morbi

morbi notioris in notitiam ejus, cujus causa abstrusior est, pervenire licet. Ceterum similius ovum non est ovo, quàm hic affectus podagræ; nisi ut hic pedes, manus &c. ille oculos vexat. Similis utriusq causa, quippe in utroque humor serosus, mordax, acer, inflammans, qui in ophthalmiâ ad oculum patet, in podagrâ verò in tumore incluſus non conſpici poteſt. Similia ſymptomata, acerrimus & certis intervallis repetens dolor, partis inflammatio, tumor cum rubore, qui in utroque affectu non ſuppuratur, ſed tandem reſolvitur. Idem ad utrumque debellandum remediorum apparatus, ſcilicet remedia ex lacte, alumine, vitriolo, croco metallorum, ære, ſaccharo Saturni cum aquâ roſarum, ſpermatis ranarum applicatis, venæſectio in utroque maximum auxilium. Unde cum quidam Vir militaris mihi notiſſimus dolore acerbo oculorum cum inflammatione & rubore eorum vexaretur, atque repellens remedium ex aq. roſarum oculis applicuiſſet, humore peccante ex

oculis

oculis ad pollicem pedis subito translato eadem patiebatur, quæ solent podagrici, aderat enim partis affectæ ingens dolor, inflammatio, tumor, cum rubore & motus impotentia. Arthritici doloris certum signum erat, quod is alio tempore recurreret, atque ægrotum paroxismo podagrico prosterneret. Si jam quæritur, quidnam igitur fluxioni serosæ cum ea sola in tantos cruciatus non sufficiat, ammisceatur, unde quasi acuatur, acrescat, tunc dico sanguinem arteriosum & spirituosum ei confundi, eumque simul cum multa serositate in articulos propelli. Cujus ferè sententiæ est Felix Platerus capit. 6. d. habit. corpor. dolor. p. m. 694. Sanguis, inquit, sero excrementitio ichoribusque humorum perfuso impurior fluidiorque factus à naturâ interveniente plerumque etiam febre aliqua, sed mitiore, (vix enim sine febricula calida vocata arthritis incipit) uti in alia loca aliquando, sic in articulorum regionem expurgatus arthritidem inducit. Dixi autem in ar-

thriti-

hritide non ſanguinem craſſiorem, ſed ſubtiliorem & ſpirituoſiorem, & ſanguinis quaſi florem, antiqui Medici bilioſum vocabant, multæ ſeroſitati permixtum peccare. Et ſane, ſi bilis effectus & virtutes, quas antiquitas ei tàm in producenda podagra, quàm aliis rebus attribuit, conſidero, non aliter cogitare poſſum, eſſe ſanguinis partem ſubtiliorem & ſpirituoſiorem, quæ antiquis Medicis bilis nomine digna viſa fuit. Sanguinem igitur talem podagræ cauſam eſſe tria potiſſimum, quibus etiam aliorum morborum cauſa indagari ſolet, nobis demonſtrant. Primum eſt, morbi ſigna & ſymptomata; ſecundum, cauſæ procatarcticæ ſeu remotiores dictæ; tertium, remedia morbo ad medendum opponi ſolita. Symptomata & ſigna podagræ ſi conſiderentur, ea quaſi digito influxum humoris ſeroſi & ſanguinei oſtendunt. Unde enim dolor tàm atrox, tàm acerbus, inflammans, quàm â ſeroſitate ſanguine arterioſo quaſi acuatâ, & cum impetu in articulos propulſa provenire poteſt?

Nam

Nam qui humor, si justa quantitate partem aliquam perluit, eam blando calore fovet, ille ipse si in excessu & nimia copia eam quasi obruit & inundat, eam quoque instar ignis inflammat, & acerbo dolore excruciat, talis autem est sanguis præprimis arteriosus, quem ignis & solis Microcosmici munia in corpore nostro obire modò supra dixi. Unde febris in hoc morbo nisi â sanguine tumultuante & nimium agitato? unde tumor rubicundus erysipelaceus dictus, & circa eum venarum intumescentiâ, pulsatio, nisi ab influxu copioso seri & sanguinis & quidem arteriosi? Neque me remorantur Caroli Pisonis rationes, quibus consil. d. arthrit. p. m. 353. unicum serosum humorem excluso sanguine semper podagræ causam esse probare conatur, quando dicit „ tumorem rubrum & splendescentem in parte affecta non fieri â „ sanguine articulum obsidente, sed „ potius â præscentia spiritus vitalis, „ seu per medicamenta calida allecti, „ seu sponte pro more suo allapsi, scili- „ cet,

cet, qui ad omnem partem laborantem & præprimis dolentem ſponte ſuâ accurrere ſolet & quamdiu urget." Quod Caroli Piſonis argumentum aliquid evinceret, ſi dolor podagricus tumorem rubrum pulſantem anteverteret, at verò ſtatim ab initio talia adſunt, & dolorem magis præcedunt, quàm ſequuntur, quod ſignum eſt, tumorem rubrum & pulſantem non dependere â dolore, verùm dolorem à tumore, quem fluxio ſeroſo ſanguinea excitavit, atq; hanc doloris & inflammationis cauſam eſſe: quod etiam in eryſipelate fit. Sed rem manifeſtiorem reddent ictus, vulnera, puncturæ, contuſiones partium externarum, in iis ab initio, licet jam læſio facta fuerit, tamen non adſunt ſtatim dolor inflammatio, gangræna atque alia horrenda ſymptomata, ſed ſubſequi ſolent. Nam puncta vel vulnerata quadam parte ſtatim irritantur ſpiritus vitales, tumultuantur, inordinate & irregulariter circulantur, ad partes læſas accurrunt, ex quorum accurſu demum dicta ſymptomata

mata excitantur. Porro influxum sanguinis arteriosi non effectum, sed causam doloris podagrici esse, probant diversæ ejus curationes. Nam in omni podagra si causa est eadem, cur medicamenta aëria calida tantopere lædunt in podagra sanguinea? cur dolorem & inflammationem augent, quæ in arthritide serosa causam morbi tollunt, dissipant, atque dolorem minuunt? Mulier quædam cum ab instrumento quodam à viro præter studium in oculum verberata fuisset, tantos inde cruciatus in oculo perpessa fuit, ut ferè ad rabiem perveniisset, nisi vena secta (unico in sanguine peccante auxilio, & præsentissimo gravissimorum omnium dolorum remedio, observatione Galeni) & aliis topicis remediis humor in partem læsam influens revulsus & repulsus fuisset. In hâc oculi læsione, uti non negari potest, sanguinem spirituosum, acrem ad partem affectam quasi in subsidium venisse, ita neque illud, hunc humoris sanguinei accursum maximum dolorem & inflammationem sub-

 secu-

secutam esse, quo per venam sectam evacuato, revulso, per remedia externa refrigerantia repulso, ipse dolor fuerit sedatus: quod si igitur sanguis in hac muliere tantos dolores ciere potuit, non minora in producendis arthriticis poterit.

Si jam causæ procatarticæ seu remotiores podagræ perpendantur, rei veritas ulterius eluceſcet, & sententiæ mea non parùm corroborabitur.

Quæcunq; enim sanguinem augent, ejusq; spiritus comovent, subagitant, ea omnia arthriticis insultibus ansam & occasionem subministrãt, inter quæ quasi agmen ducunt, temperamentum plethoricum, vinum, Venus, ira, spiritus vini, aromata, corporis motiones violentæ, ut equitationes, venationes, animi curæ & sollicitudines, suppressa menstrua, hæmorrhoides. Ultimum denique; robur adder opinioni nostræ tota remediorũ podagræ opponendorum phalanx, sive ea externe, sive interne adhibeantur, quorum omnium virtus in eo consistit, ut seri & sanguinis influxum

fluxum in partem aliquam reprimant, repellant, eum à parte affectâ revellant, ejus orgasmum compescant, ejus acrimoniam mitigent; inter quæ principem locum tenet venæsectio, cujus nulla esset utilitas, si sanguis esset innoxius; remedia ex vitriolo, alumine, lacte, parata, de quorum omnium operandi modo & utilitate deinceps sermo fiet.

Contra hanc opinionem iterum opponentem habemus Carolum Pisonem loc. cit p. m. 349. ubi contendit, massam sanguineam omninò vitii expertem esse, nisi forte calidior, quàm par sit, cum potius deficere eam, quàm redundare & exorbitare in vasis, satis constet; ex adverso autem serosa" (inquit) colluvies evidentissime re-" undat, & sanguinis massam excedit, " serum potius accusandũ venit, quàm " sanguis: serosæ namque redundantiæ " toto corpore plura sunt eaq; illustria " argumenta, & imprimis experientiæ " rerum magistra, cujus conscios testes" appello clarissimos Collegas Archia-" tros. Quoties enim est secta vena il-"

lustrissimo Principi, secta autem est singulis annis sæpe sæpius, toties advertimus, ubi sanguis in pelvim subsedisset, confusione humorum dissoluta serum secretū partem maximam pelvis occupare, eique tanquàm miscelæ sanguineæ constantis, integræ, atque inculpatæ innatare, quem seri excessum observo quotidie in omnibus calidis corporibus & arthritidi obnoxiis.

Verùm, licet hæc verissima sint, & ipsa experientia comprobata, qua cōstat è venis podagricorum sanguinem eductum quandoque tam parvam quantitatem sui, superstante copiosissimo sero, ostendere, ut mirum cuidam esse videatur, quomodo vita in tantillo sanguine hærere possit, ea tamen pro Pisonis sententia parum pugnant, quia hæc sanguinis à sero segregatio effectus est præternaturalis in sanguine effervescentiæ, & ideo causa podagræ non constitui potest, quod nec ipse Piso diffitetur, dum sanguinem calidiorem, ut ut eum ab omni culpa eximere conetur, in arthritide accusat; nec est purum serum,

um, uti Piſo putat, ſed multis ſpirituoſis & acribus particulis refertum.

Parùm etiam me movet Dan Sennerti adducta ratio, quâ negat ſanguinem tantorũ dolorum cauſam eſſe poſſe, quia ſit humor blandus, benignus. Hoc enim ſolummodo verum eſt tunc, quando ſanguis debito modo & quantitate partes corporis noſtri interluit, tunc quoque blando & benigno calore eas fovere nemo negat, ſi vero is modum exceſſerit, & juſto copioſior in partes irruerit, tunc dolores, incendia & inflammationes ab eo oriri, quis in Medicinâ tàm imperitus eſt, qui non videat. Meminiſſe etiam debuiſſet Sennertus tumorum phlegmonum, quos ab influxu ſanguineo pronaſci omnis Medicorum ſchola docet.

Thomam Williſium & alios permovit, quo minus crederent ſanguinem tumorum, & dolorum podagricorum cauſam eſſe, quia ii non ſuppurantur, quod tamen in tumoribus à ſanguine fit: verum iterum objici poteſt, tumorem in eryſipelate in ophthalmia, in

odontalgia etiam non suppurari, & tamen eum ab influentibus una cum sanguine serositatibus pronasci. Ad dictam rationem responderi potest, tumorem podagricum & alios ideo non suppurari, quia multæ serositati sanguinis pars saltem subtilior, spirituosior, (antiquis Medicis biliosior) ammiscetur, quia fluxio incidit in partes excarnes, membranosas, & in quibus non tam facile suppuratio contingit, ut in carnosis, & ubi crassior sanguis peccat, sed plura infra docebuntur.

Dictis his de causa materiali fluxionis podagricæ, sequitur indagandum, quæ partes hanc fluxionem recipiant, per quas vias ea feratur, & deinde quæ causa hanc fluxionem moveat, impellat.

De partibus fluxionem recipientibus non credo longa disceptatione opus esse, in eo enim fere consentiunt omnes Medici, subjectum fluxionis podagricæ esse partes membranosas, ossa, ejusq; articulum ambientes. Nam eæ partes, quæ in statu naturali exquisi-

te

se sentiunt, eæ in præternaturali exquisite dolent, quia verò in podagra dolores sunt magni, atroces, vix aliud subjectum humoris podagrici esse potest, quàm partes membranosæ exquisitissimo sensu præditæ; deinde, quia in podagra adest maxima motus impotentia, eas ipsas, quæ caput ossis ligant & investiunt, affici necesse est. Partes articuli tendinosas & ligamenta sensus expertia etiam fluxione arthritica tentari ostendit motus impotentia in ea quoque podagra, in qua nulli fere dolores sentiuntur, &, si morbus inveteratus sit, articulorum subluxationes.

Nec de viis & medio, per quod fluxio fertur, cum multis mihi certandum erit. Nam postquam constat, serum & sanguinem fluxionis podagricæ materiam constituere, certe aliæ viæ non erunt, quàm arteriæ earumque oscula in ipsas articulorum extremitates desinentia, & humorem in se contentum in eorum porositates instillantia. Ex pulsu alto undoso, febre comite, cum Pisone consil. de arthrit. p. m. 348. humorem

morem arthritidis continentem per arterias ferri, etiam concludere licet. Nam Fernelii aliud iter, alias vias humori arthritico quærenti opinio ab aliis excussa & satis refutata est. Putarunt etiam nonnulli docti Viri nervos esse, per quos humor arthriticus ad partes fertur. Verùm reclamat structura nervorum nimis solida, nullisque meatibus prædita, per quos humor quidam peccans & quidem tàm celeriter, ut in accessionibus podagricis fieri necesse est, deportetur. Esset præterea necesse, si per nervos humor arthriticus deflueret, scaturiginem ejus semper cerebrum esse, à quo nervi immediate propagantur. At sæpe sæpius fit, ut cerebrum in paroxismis podagricis non solùm nullam labem malì sentiat, verùm etiam sit satis vegetum, robustum & sanum. Major Medicorum dissensus & controversia est de causa efficiente, fluxionem podagricam movente, impellente, & determino à quo illa incipit.

Antiquitas credidit robur esse jecoris,

is, quod excrementitios & superfluos humores ex corpore ad ambitum ejus rejiciat. Aliis placet caput pro termino â quo fluxio podagrica incipit, constituere, hoc pituitæ fontem & originem omnium catarrhorum esse dicunt. Plerique, inter quos est præcipuus Carolus Piso serositates sensim & sensim in massa sanguinea accumulari, quâ turgens jam & saturata nimis certo tempore efferveſcat, & efferveſcens suas impuritates, non aliter ac vinum tartarum ad dolii latera deponit, ad ambitum corporis relegare soleat.

Veterum Medicorum assertionem falsam esse probat, quod multi reperiantur podagrici, qui, quoad hepatis & aliorum viscerum constitutionem, saniſſime vivunt, & nulla adsint affectî hepatis signa, quod in cadaveribus arthritide defunctorum dissectis nulla labes in hepate, liene, vel aliis visceribus infimi ventris, uti observavit Carolus Piso, fuerit depreſensa.

Neque tusses, catarrhi quibus podagrici sæpius infestantur, probant fluxionem

xionem podagricam ex cerebro depluere, atque hoc dicere, mihi idem esse videtur, ac si quis evincere vellet, materiam podagricam ex renibus derivari, quia podagricorum renes sæpius calculo obsidentur. Ceterum sententia, quæ cerebrum fontem pituitæ constituit, jam dudum ab aliis explosa est, his enim, uti & nobis, fons pituitæ est massa sanguinea copioso sero diluta. Ex hoc fonte immediate per arterias omnibus corporis partibus, glandulis, atque etiam ipsi cerebro materia lymphatica pro nutritione & humoris salivalis elaboratione, tanquam ex promo condo suppeditatur, quæ, si in majore copia, quam par est, ad partes & glandulas decurrat, fluxionum & catarrhorum omnis generis author existit. Imprimis cerebrum, quia corpus est in se & per se exangue hujus diluvii serosi culpam luere cogitur, quando massa sanguinea suas serositates in illius substantiam evomit, unde postea epilepsiæ, apoplexiæ, vertigines, affectus soporosi exsurgunt. Si vero contin-

git

git materiam serosam aliorsum rejici, atque eam vel ad glandulas in nare superiore ad os cribriforme constitutas in coriza, vel ad amygdalas in isthmo faucium positas in tussi deponi, tunc cerebrum insons est, cum illa ipsa materia catarrhosa non immediate à cerebro, desunt enim viæ & ductus, sed ex arteriarum osculis in dictas glandulas desinentibus depluat.

Caroli Pisonis sententia, qua credit serositates propter ingluviem, impeditam transpirationem, sensim & sensim in massa sanguinea colligi, quarum copia deinde gravata natura mediante quadam effervescentia febrili, eas ad exteriora propellere conetur, verisimilior videtur, in quam etiam sententiam inclinat Crato, dicens, eos, qui parùm mingunt & sudant, propter copiosam seri collectionem in podagram præcipites ruere. Ipse Galenus dicit esse podagram ab articulorum debilitate cum humorum plenitudine conjuncta, verum nec hæc opinio suis caret difficultatibus. Nam causæ remotiores seu

procatarcticæ nobis ad indagationem causæ proximæ lumen accendunt, & probant, etiam citra illam præsuppositam humorũ plenitudinem podagram progigni posse. Sic, licet spiritus vini, aromata, exercitia violenta, venationes, equitationes, Venus, sint istius virtutis & efficaciæ, ut insensibilem transpirationem omni modo adjuvent, poros corporis aperiant, seroſos humores dissipent, sudores eliciant, & omnem metuendam nimiam seri collectionem prohibeant, vel collectam imminuant, tantum tamen abest, ut quemquam ab insultibus podagricis tutum præstent, ut potius è contrario eum iis obnoxium reddant, & omne momentum ad podagræ generationem conferant. Sunt ex adverso alia, quæ seri collectionem omni modo augent, & tamen ad podagræ curationem valent, atque in eâ tollendâ non signem præstant operam, qualia sunt, lac & inde parata. Pari modo observatum est, quosdam antea arthritide infestatos carceribus inclusos, ubi vitam ærumnoſam

mnosam ducere, & äeris quascumque injurias, non leve transpirationis impedimentum, perpeti fuerunt coacti, nihilominus ab eâ liberatos fuisse. Mulieres sunt præ viris humidioris temperamenti, & tamen minus sunt podagræ obnoxiæ, quàm viri. Hic lubet mirari, quantum Medici invicem dissentiant. Nam quod Carolus Piso arthritidis causam esse asserit, id Josephus Quercetanus ejus generationem impedire statuit. Inquit autem in suo consilio d. arthritid. Mulieres podagra non ita facile laborare, quia habent sanguinem copioso humore refertum & contemperatum. Quemadmodum etiam in universum maribus sunt humidiores, quo plus autem est humoris ejusmodi sali aut substantiæ tartareæ admixtum, eo magis acrimonia ejus contemperatur. An denique acerrimorum dolorum, inflammationum, aliorumq; gravissimorum symptomatum, podagricis quæ accidere solent, causam soli serosæ materiæ congestioni imputabimus? quam

seri

seri abundantiam, quia sæpe remediis purgantibus, diaphoreticis, diureticis aliisque seri copiam imminuentibus remediis nequicquam exhaurire tentamus, iisque in curatione podagræ nihil proficimus, quid aliud indicat, in alia re, quàm seri copiosa collectione causam podagræ quærendam esse?

Hæc autem duplex est, una humorum orgasmus, quem spiritus nimis acres, volatiles, atq; ideo ad irregulares motus in sanguine concitandos proclives causantur. Etenim, quia sanguis una cum sero commotus & ferociter tumultuans in vasis non coerceri potest, reseratis arteriarum osculis tanquàm rupto ergastulo erumpit, atque articulorum partes hostiliter invadit. Argumentum in hanc rem nimis evidens est, uti dixi, quod omnia, quæ seri & sanguinis commotionem & orgasmum excitant, etiam arthriticas invasiones accelerent, quæ verò hunc orgasmum sistunt, etiam ad curandam podagram inserviant; præterea febris, pulsatio, sæpius podagræ conjuncta idem,

dem probant. Altera est articulorum læsio, imbecillitas, vel tonicorum remissio, relaxatio, unde veterum axioma: ad partes debiles, adde læsas, facile fieri defluxiones. Nam ut partium solidarum robur frænum esse dixeris, quo humores intra justos limites coercentur, sic eorum imbecillitas & læsio causa infrænitæ eorum licentiæ, extravasationis & fluxionis est, quicquid hîc dicant multi nostra ætate, qui in omnibus morbis solos humores accusant, atque in curatione eorum tantùm ad fluida, neglecta interim partium solidarum curâ, respiciendum esse præcipiunt. Ego verò humorum quidem curam non omitti debere, verùm quandoque magis ad partium solidarum curationem remedia dirigenda esse statuo. Nam sæpe sæpius accidit, ut humores quieti in corpore permansissent, nisi partium solidarum imbecillitas vel læsio non eos commovisset, & ad nocendum quasi invitasset. Quare, si humores serum puta & sanguis, à quarum modestia sanitas dependet, in

fluxi-

fluxionibus podagricis in corpus nostrum armantur, atque ejus partibus vim inferunt, hujus culpæ invidiam non solùm in humores, sed etiam in ipsas partes inclino, quæ humores inquietaverunt. Unde Helmontius catharrhos omnes oriri putat ex propriâ cujusq; partis idiopathiâ sive indispositione fermentis topicis superinductâ, licet, quale sit hoc fermentum, pro more suo non satis explicet. Luculentius in hanc rem exemplum non possum dare, quàm in odontalgiâ. In illâ quæro, an humor ad dentem defluens, tàm acerbi doloris primaria causa sit, an dens ipse? qui si est putridus, corruptus, rectissime causa primaria morbi esse dicetur, non verò humor ad ipsum fluens. Nam dente ferro extracto, vel igne exusto, statim etiam cessat fluxio, cessat dolor. Si enim humor primario peccaret, tunc dente etiam evulso fluxio nihilominus perennaret, & dolor urgeret, quia verò dens putridus, corruptus est causa fluxionis, â quâ immediate dolor dependet, ea propter hoc evulso

evulso, tanquam fundamento morbi subruto, unâ cum fluxione etiam dolor cessat. Quidam miles cum in statione ad portam esset, ab alio in genæ superioris parte sub oculo vulneratur, ab hoc vulnere inflicto ferox catarrhus cum tanti doloris acerbitate, qualem podagrici vix ferre possunt, bis in anno oculum in parte læsâ adoritur; ad hunc affectum aufferendum varia remedia extetnè & internè fuerunt tentata, quæ autem non impedire potuerunt, quo ægerâ dolorificâ hac fluxione liberaretur, & non tandem tabe periret. Si hic catarrhus ab internâ causâ pronatus fuisset, opidò fuissent, qui hepar calidum fervidiorem sanguinem generasse, eumque ad oculum rejectum tam acetbi doloris authorem fuisse existimassent; alii plenitudinem humorum seroforum, alii sal aliquod acidum, acre, causticum sero permixtum, alii tartarum volatilem vini, vel spiritus sylvestres accusavissent. Atâ vulnere non hepar, vel aliud viscus, quippe erat vulnus inflictum in loco

ab

ab hepate distante, lædi potuit, nec plenitudo humorum â vulnere induci potuit, qui potius per illud depleti fuissent, nec tartarus aliquis, nec sal aliquod corrosivum, acre, causticum, vel spiritus sylvestris inculpari potuit, quia illa omnia à telo vel gladio corpori communicari nequiverunt. Reliquum est igitur, ut humores jam antea in corpore præsentes, nempe sanguis & lympha hanc tragœdiam morbosam luserint, atque ipsius partis læsio, & inde subsecuta debilitas, â quâ spiritus arterioſi commoti, irritati, efferati, & in magna copia ad partem læsam accurrentes, tantorum dolorum, fluxionis, & inflammationis causa extiterit. Pari modo, si quis aquam nive refrigeratam affatim hauserit, atque inde in choleram inciderit, non humor biliosus horum vomitum causa primaria & efficiens est, ubi enim tanta humoris bilioſi copia ante aquæ frigidissimæ haustum in homine antea sano delituisset? multo minus is ab aquâ nive refrigerata immediate

produ-

produci, vel ea in bilem converti potuit, quia inter humorem bilioſum & aquam nivalem nulla eſt naturæ ſimilitudo, & quia quantitas humoris peccantis longè excedit quantitatem aquæ epotæ, verùm ipſius ventriculi læſio cauſa morbi fuit. Quippe à potu frigidæ infractum fuit robur ventriculi, tonusque ejus relaxatus, fibræ remiſſæ, unde humores ſeroſi ex tota maſſa ſanguinea ad membrum labefactatum affluentes in bilem deinde fuerunt converſi. Idem poteſt dici de iis, qui ab eſu cucumerum, melonum, diarrhoicis & dyſentericis fluxionibus corripiuntur. Nam ab uſu harum rerum fibrillæ nervoſæ inteſtinorum emolliuntur & relaxantur, in quæ jam debilitata impetus fit ab humoribus, qui non ab alio gubernati, & ſe ipſos regere neſcientes, inteſtinis vim inferunt, eaque exulcerant, atque rem non aliter ſe habere poſſe, ſatis probat, quod in melone, cucumere nullum ſal corroſivum, vel exulcerans, quali ad dyſenteriæ productionem opus eſt, deprehendi

di poteſt. Sic qui diu in fumo, aere frigido, ventis, verſati fuerunt, acria in nares ſufflarunt, coriza laborant, tuſſiunt, non quia venti & acria virtutem habent humorum copiam augendi, exſiccant enim potius, & materiam catarrhis ſubtrahunt, verùm, quia ab iis immediate glandulæ afficiuntur, quibus affectis humores ſeroſi ad eas attrahuntur, ad eas decumbunt, atque corizam vel tuſſim cauſantur. Ipſa dictorum omniũ affectuum curatio, remediorum corroborantium, ſpecificorum in iis tollendis efficacia, & topicorem (quicquid hîc dicant, qui iſtiusmodi curationes palliativas & ſupervacuas eſſe in podagra ſtatuunt, inter quos eſt Carolus Piſo, & Doringius apud Gregor. Horſtium libr. III. part. II. p. m. 263.) inſignis utilitas, cauſam eorum primariam & efficientem, non tàm in humoribus, quàm partibus ſolidis inveſtigari debere oſtendit.

Quare nulli dubium eſſe debet, etiam in arthritide articulorum debilitatem, læſionem, non minus ad fluxiones

ones podagricas contribuere posse, quàm ipsos humores inordinate commotos, turbatos. Nam articulorum læsio & effœminatio, ut ita loquar, causa est, ut humores serosi vel sanguinei ad eos præcipites ruant, qui si sufficiente robore præditi essent, eorum impetum facile eluderent. Non aliter ac cives vel subditi facile parent atque obsequuntur Magistratui vel Principi, cujus authoritas sufficiente potentiâ munita est, in quem verò imbellem & impotentem redditum insurgunt, ejusque imperium detrectant.

Verum hanc assertionem dubiam reddere potest, quod afflictio podagrica esset perpetua, & non certis intervallis repeteret, si articulorum læsio & imbecillitas ejus causa esset, cum illa imbecillitas articulis semper insit: at responderi potest, illam imbecillitatem & læsionem pro ratione temporum & victus & c. etiam vel remitti, vel intendi posse; deinde requiri insuper humorum orgasmum, qui certis intervallis repetat, & dolorem arthriticum progignat,

gnat, atque ita offensam articulorum non impedire, quo minus morbus aliquando inducias det: non minus ac ophthalmia à vulnere inflicto in milite illo, cujus supra mentionem feci, statis periodis repetere solebat, non obstante, quod læsio partis primaria ejus causa fuerit.

Hisce sufficienter refutatam fuisse opinionem eorum confido, qui in morbis partes solidas ab omni culpâ eximere tentant, cùm, uti humores corrupti, vitiose commoti sæpius suam labem partibus solidis affricant, ita vice versâ, ad partium vitium, læsionem, quia omnia in corpore nostro sibi invicem consentiunt, communicabilia sunt & compatibilia, humores effervescere & turbari soleant.

Sed dispiciamus jam quid causarum remotiorũ seu procatarcticarum consideratio in ampliorem podagræ cognitionem nobis suggerat.

Hæ autem omnes sunt, uti dixi, ejusmodi, ut sanguinem commovere, spiritus ejus agitare, articulos lædere, debi-

debilitare, & ita humores ad fluxiones disponere valeant. Inter quas omnium calculo præcipuæ sunt, vinum, ira, Venus, quæ uti arthriticum affectum producere nemo Medicorum dubitat, sic quomodo id præstent, adhuc inter eos disceptatur.

Et primò vinum quod attinet, si ejus simul utilitas, atque ex adverso noxa consideratur, dubium est, an dolor, an voluptas ex ejus usu magis sese in corpora humana insinuaverit. Magnæ equidem sunt ejus dotes. Est enim gustui gratum, palato jucundum, cor exhilarat, omnem ægritudinem animi discutit, curas & sollicitudines removet, animum etiam timidis addit, egregium præterea est stomachium; sed non minora sunt ejus damna, quæ corpori humano infert, si morborum catervam, quos producit, consideremus. Ut jam febricitantes & alios, qui vini noxam luunt, taceam, quis epilepticorum, capitis, oculorum doloribus correptorum, vinum non tanquam præsens venenum experitur? Imprimis

autem

autem œnopotæ suaviſſimam bibendi voluptatem quandoque non niſi atrociſſimis articulorum doloribus emere coguntur. Si autem jam quæretur, unde ea vino noxa proveniat, res adhuc intricata, nec tùm deciſa eſt. Quidam enim credunt vinum præditum eſſe ſubtili & penetrante tartaro, qui ad articulos perlatus tàm ſævi doloris author ſit, unde Cnœffelio tartarus infernalis appellatur. Sine dubio nodi & tophi in arthritide ſpectati huic opinioni, ut podagra vulgo â tartareâ materiâ pronata eſſe videretur, anſam dederunt: verùm hæcce jam antè â me fuerunt refutata, tophos autem & nodos non â tartaro vini, ſed aliâ cauſâ progigni, paulo poſt dicetur. Nonnulli in acidum peregrinum, hoſtile, â vino maſſæ ſanguineæ communicatum mali podagrici culpam rejiciunt, ſed & hi falſâ hypotheſi decepti; dum acorem cauſam podagræ eſſe ſtatuunt, ita ſentiunt. Alii calciformem quid vino inesse putant, ſed nec illud ſufficienter probatur. Ego verò ſtatuo vinum podagricis

dagricis ideo noxium esse, quia multis spiritibus præditum est, qui cum spiritibus vitalibus sanguinis arteriosi similis ferè sunt naturæ & substantiæ, atque ad massam sanguineam pervenientes, cum iis conjuncti eam jamjam ad effervescendum pronam ulterius stimulant, & τὰ εὐδοντα καὶ αὐτὴν ὄτρυνουσι. Argumentum hujus rei est, quod â vini potu corpus incalescat, animo robur, hilaritas concilietur, pulsus celer & robustus fiat, facies rubescat, qui rubor tandem in guttam rosaceam abit, quod â vino hæmorrhagiæ, febres excitentur. Nam ut in sanguine spiritus, (cui antiquitas pulcre admodum ὁρμῶντος, impetum facientis nomen indidit) præcipuus effervescentiæ vitalis author est, sic etiam spirituosæ vini particulæ primaria ejus effervescẽtiæ causa sunt, unde quo generosiora & spirituosiora sunt vina, eo etiam tumultuosius effervescunt, ad quorum effervescentiam sedandam omne artificium in sistendis & figendis his spiritibus consistit. Quare non mirum, si impetum

facientes (ut cum antiquis Medicis loquar) ſpiritus ſanguinis jam nimis acres & volatiles cum vini ſpiritibus conjungantur, quod maſſa ſanguinea inde immodice comoveatur, effervesſcat, & ad fluxionem podagricam ſtimuletur; atque etiam hæc cauſa eſt, quod vina quo ſunt generoſiora & fortiora, eo noxiora etiam podagricis deprehendantur, & ipſe ſpiritus ex vino deſtillando elicitus nocendo non ſolùm vinum ipſum æquet, ſed etiam ſuperet, eoque venenoſior habeatur. Reperiuntur etiam in Saxonia inferiore cereviſiæ quædam, quæ, uti inebriando vini vires æmulantur, ita etiam ſuâ nocendi qualitate cum ipſis vinis certant. Noſtras autem cereviſias quod attinet, eas illi, qui coquunt, ita ſcite aqua temperare poſſunt, ut nullum ab iis podagricis ad minimum timendum ſit periculum. Hæc autem vini noxia vis non parùm augetur, quia etiam articulos lædit, quod illi experiuntur, quibus ex vini largiore potu manus tremere ſolent. Noti ſunt verſiculi:

Ut

Ut Venus enervat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.

Quæ utraque qualitas podagricis vinum largiter bibentibus, non nisi certam perniciem minatur.

Eadem etiam de Venere dicenda veniunt, cui non minor quàm vino articulos debilitandi, spiritus in sanguine commovendi, agitandi vis concessa est, ut non malè ille in amorem impetus œstrum Venereum appellari consueverit. Nam uti equi, si ab œstro certo insecti genere iis infesto punguntur, in cursus rapidissimos tantopere agi solent, ut furere videantur; sic etiam œstro Venereo perciti quodam quasi furioso impetu (quod non sine maximâ spirituum commotione fieri potest) in suum desiderium feruntur. Venerem tantæ in podagra procreanda potentiæ esse credidit Senex noster, ut aphor. 28. libr. 6. scribere non dubitaverit, Eunuchos podagra non laborare, uti aphor. 30. libr. cit. nec puerum ante Veneris usum. Licet hîc quæri possit, an solumodo actus Venereus podagram

accersat, an non etiam ipsa generandi potentia, seu tempus pubertatis, quo pueri antea impotentes ad generandum apti redduntur? vel, an abstinentia à Venere, licet potentia generandi jam adsit, ab insultibus podagricis quenquam defendere possit? At non solùm ipsum actum Venereum multum ad podagræ generationem conferre, verùm etiam tempus pubertatis semen podagræ in nos maturare non dubitari meretur. Etenim annis pubertatis corpus humanum maximam subit mutationem: mutationis indicia sunt, quia hoc tempore animo robur, audacia, ingenio vigor accedit, pili in mento & pudendis prorumpunt, vox gravis redditur, & in sexu muliebri catamenia fluunt. Quare nonnulli Medici, interque eos Gothofred. Mœbius Instit. Medic. cap. v. hæc omnia considerantes, tempore pubertatis novos spiritus quos genitales vocant, & ab animalibus & vitalibus distinguunt, in testibus ad majorem individui perfectionem elaborari statuunt, quali perfe-

Digitized by Google

perfectione eunuchi propter testium exsectionem plane privantur, dum iis animositas viro digna perit, & in fœmineam naturam degenerant, imberbes permanent, voxque eorum gracilescit. Quicquid verò de hoc spiritu genitali ulterius statuatur, nempe an sit ab animalibus & vitalibus distinctus, an ipse spiritus vitalis virtute testium ad majorem perfectionem perductus, &, ut cum Chymicis loquar, quasi rectificatus, eum tamen sumè agilem, activum & impetuosum esse testatur valida, & ab spiritu hoc impulsa & pressa seminis virilis in uterum muliebrem ejaculatio, tùm virilis ardor, & animositas, quæ ab eo provenit, nec non in fœminis mensium fluxus, qui per hunc spiritum, novo fermento massam sanguineam imbuentem, eamque ὀργάζουσα promovetur, item furor uterinus, qui huic spiritui nimis impetuoso suum ortum debet; acrem etiam & mordacem esse oportuit, ut hujus acrimonia ceu stimulo quodam viri in Venerem incitentur.

Ceterùm hunc ſpiritum acredinem humoribus conciliare probat vox, quæ tempore pubertatis â gracili & acuta in gravem mutatur, quia mixtura hujus ſpiritus acris humores in maſſa ſanguinea acriores redditi, epiglottidi illabentes eam aſperant, vocemque gravem & clangoſam efficiunt, atque ut vox gracilis naturæ frigiditatem, humorum dulcedinem, ſic gravis temperamenti caliditatem & humorum acrimoniam arguit; unde eunuchi & impuberes, qui tali ſpiritu deſtituuntur, vocem habent gracilem, acutam, quæ in viris gravior eſt, graviſſima & ſcenteria in hirſutis, maniacis quibusdam, in quibus adeſt igneus quidam ſpirituum fervor.

Quia igitur ſpiritus genitalis acer & mordax eſt, atque humorum acredinem in maſſa ſanguinea auget, ſumme item activus, impetuoſus, quid mirum eſt, tempore pubertatis ab ejus acceſſu, ſanguini novos quaſi ſtimulos & calcaria addi, eumque ad fluxionem podagricam, quam ab orgaſmo ſpiri-

tuum

tuum præternaturali & humorum acredine dependere non semel dixi, stimulari & impelli: non aliter ac nephritis morbus arthritico consimilis itidem ab hoc spiritu genitali procreatur. Nam spiritus genitalis, uti tempore pubertatis totum corpus ejusque partes remotiores alterat & afficit, ita quàm maxime vicinos renes, quos suâ acrimoniâ incendit, inflammat & hoc modo ad calculi morbum disponit. Quod enim ante pubertatem vix quisquam calculo renum corripiatur, quod exercitium Venereum tantopere calculosis noceat, remedia aphrodisiaca dolores calculi renalis augeant, ex adverso frigida diuretica renes obsidione calculorum liberent, simulque Veneri bellum indicant, quod calidi renes propensionem ad Venerem, frigidi cognitiem ejus afferant, renes animalium non castratorum calidius & seminale quid spirent, castratorum vero non, in curatione Gonorrhææ â seminis copia non sine successu remedia refrigerantia renibus

applicentur, flagellatis renibus appetitus Venereus excitetur, in salacibus tabes nephritica oriatur, unde hæc omnia proveniunt, quàm â spiritu genitali cujus acredinem & caliditatem omnium partium primùm renes bibunt, tùm propter viciniam, tùm propter comunionem arteriarum & venarum spermaticarum, quæ inter testes & renes (licet non immediate renibus inserantur) commeant, & per quas spiritus genitalis ad renes facillime pervenit, viciſſimque virtus remediorum renibus applicatorum testibus communicatur. Quo ipso labat opinio Clariſſimorum aliâs Medicorum, ut Sennerti, Wormii, Hoffmanni, Meibomii, Horſtii, Loſelii, Euchſtachii, Sperlingeri & aliorum, quos dictæ rationes permoverunt, ut præparationem seminis fieri in renibus, sed falsò & malè statuerent. Nam aviculæ sunt salaciſſimæ, & tamen nullos habent renes, quod non esset, si præparatio seminis fieret in renibus. Alia argumenta, quibus sententia dictorum Medicorum

rum refutatur vide apud Thomam Bartholinum Anatom. Reformat. libr. 1. cap. xvij.

Verùm nec ipsius Bartholini opinio magis vera est, quâ asserit, testes irradiari á renibus. Statuendum enim ei potius erat renes irradiari á testibus, cum testes peculiaris spiritus officina, qui acti dictum totius corporis partes interque eas etiam renes potissimum afficit; renes verò nihil aliud, quàm excrementi serosi secerniculum sint. Quapropter dicamus potius ex testibus tanquam ex fonte prodire spiritum genitalem, activum, impetuosum, acrem, mordacem, qui totam massam sanguineam fermentet, serum acre reddat, & ita toti corpori humano mutationem afferat, præcipue verò renes, cum quibus testes consentiunt, acrimoniâ suâ afficiat, unde deinde non solùm multarum actionum in homine major perfectio exsurgit, sed etiam morborum quorundam ut arthritidis, nephritidis, melancholiæ hypochondriacæ semẽ propullulat. Ita natura bo-

na malis miſcet, & quæ ad ſanitatem & actionum noſtrarum perfectionem contribuunt, ea ipſa (triſte virorum privilegium) non minùs ad morborum productionem valent; è contrario eunuchi, qui parte corporis ſui multati ſunt, quaſi in deperditæ virilitatis ſolatium habent, ut â morbis quibusdam immunes ſint.

Hic lubet etiam paucis inquirere, cur podagrici plerumque ſint ad Venerem proclives, immò nonnulli eorum in ipſo podagræ paroxiſmo amoris ſtimulos ſentiant. Nam quia homo ad contemplationem duarum contrariarum rerum, qualis eſt dolor & voluptas uno tempore animum ſuum impendere nequit, atq; aliâs ad levem doloris ſenſum in aliis morbis omne voluptatis deſiderium petit, mirum cuipiam videri poſſet, quod in podagra atrox dolor venereum appetitum quandoque non extinguat. Verùm uti non impoſſibile eſt, unum eundemque humorem in quodam ſubjecto voluptatem, in alio dolorem excitare, ita

nil

ail impedit, quo minùs ſerum acredine ſpirituoſa turgidum, quale præprimis podagricorum eſt, in partibus genitalibus pruritum venereum excitet, quod ad articulos propulſum in iis ardorem & dolorem podagricum generet. Atque hæc de Amore dulciſſimo affectu, ſed amaros fructus proferente, & cujus voluptas ſuis cultoribus tantis doloribus conſtat, dicta ſunto.

Ira non præter rationem præcipuis podagræ cauſis annumeratur, quæ non immeritò excandeſcentia appellatur. Nam ut ferrum ignitum præ rubore ignis candidum apparet, ita etiam hic affectus faciem rubro candore (magnum concitati ſanguinis argumentum) tingit, quem etiam levem febriculam eleganter admodum appellavit quidam inſignis Politicus. Iram vulgo â bile commota oriri putant, quod de bile excrementitiâ non intelligi poteſt. Nam color faciei in ira referret colorem humoris intus detenti, atque is flaveſceret potius, quàm ruberet; quamplurimos etiam novi, quibus ven-

triculus ſæpius ſaburra biliosa excrementitia oppletur, & tamen ii natu mites ſunt, & nihil minùs quàm iracundi. Cenſendum igitur eſt, per biliosum ſanguinem, ſpirituoſiorem, ſubtiliorem partem, & florem ejus intelligendam eſſe, atque ſpiritibus ejus quaſi efferatis & concitatis etiam tumultuoſum hunc affectum ſuam originem debere, qui in podagra, ut ex dictis facile colligi poteſt, non niſi ſummè noxius eſſe poteſt. Referri præterea in cenſum cauſarum podagræ merentur ſollicitudines, curæ, unde Virgilius Æneid. libr. viij. -- *magno curarum fluctuat æſtu.* item vigiliæ, exercitia violenta, venationes, equitationes, aer calidus, cibi aromatici; etenim hæc omnia partim articulos debilitare, partim ſanguinis effervescentiam concitare, atque ad fluxiones arthriticas aptum reddere poſſunt. Aere frigido multis fuerunt articuli læſi, debilitati, qui exinde in arthriticos affectus prolapſi ſunt. Quicunque temperamento plethorico præditi ſunt, ii etiam in po-

dagram

dagram proclives sunt, in plethora autem non tàm specto multitudinem sanguinis, quàm spirituum copiam, quâ is turget: unde enim illa in plethoricis animi alacritas, ingenii promptitudo, memoriæ felicitas, in actionibus agilitas, nisi â spiritibus?

Multis malum podagricum hæreditarium est, & quia iis podagrici parentes contigerunt, etiam ipli podagrici facti sunt. Nam quia articulos debiliores & fervidiorem sanguinem naturâ nacti sunt, ideo etiam malo, quod ex iis gignitur, obnoxias cervices præbere fuerunt coacti.

Sexus masculinus præ fœmineo malo arthritico magis obnoxius est. Sunt enim spiritus in sanguine virorum acriores & volatiliores, atque ideo magis fermentescibiles, in mulieribus verò temperatiores, fixiores, atque ideo sedatiores, quod in his animi mollities & timiditas, in illis corporis robur & animositas indicat.

Nec dubitari debetur, quod etiam pubertas propter dictam rationem ad recipi-

recipiendam mali podagrici labem disponat, licet etiam quandoque impuberes arthritica patiantur, uti observavit Dom. D. Joh. Jacob Wepferus, & etiam in cujusdam Mercatoris filiolo hic Ulmæ observatum fuit.

Inter præternaturales causas podagræ referre licet contusiones, luxationes, casus, vulnera in articulis facta, vel, ut Paræus, tormenta in equuleo, quibus omnibus articulorum robur infringitur, læditur, eorum tonus relaxatur, spiritus irritantur, comoventur. Suppresso intempestive dysenterico affectu uxorem sutoris arthriticam redditam memini. Mensium obstructio in mulieribus invasionis arthriticæ causa existit, juxta Hippocratis aphor. 29. sect. vj. dicentis: *mulierem podagra non laborare, nisi menstrua defecerint.* Ipse aliquando juvenculam ex suppressione mensium arthritide universali correptam tractavi. Hæmorrhoides fluere consuetæ, atque iterum suppressæ arthritidis causa sunt.

Ex

Ex dictis & enumeratis jam non difficulter sciri potest, cur divites frequentius malo podagrico vexentur, & cur qui antea divites & podagrici erant, in conditionem vitæ deteriorem ac paupertatem dejecti, ab ea fuerint liberati, uti Franciscus Alexander de Francisco Pechio scribit, eum quenquagenarium per viginti annos morbo articulari afflictum, deinde captivum factum sola aqua & pane vixisse, & hujus diætæ beneficio à podagra liberatum fuisse, referente Joh. Cratone consil. 21. libr. 4. Nam qui opibus abundant, vina fortia generosa bibunt, compotationes in multam noctem protrahunt, convivia sybaritica celebrant, ciborum varietate, iisque aromatibus, cæpâ, allio conditis delectantur, choræas instituunt, equitationibus, venationibus dediti sunt. Ex lautiore victus ratione in Venerem proclives redduntur, & quandoque, varietate delectante, & libidinem ulterius accendente, in promiscuos concubitus ruunt. Quia ut plurimum aliis imperant,

sant, & magnam familiam administrant, iis irarum, offensionum, curarumque materia accedit. Pauperes verò nihil horum faciunt, iis desunt divitiæ, desunt instrumenta luxuriæ, simplici & parco victu utuntur, in Venere moderati sunt; quippe sine Cerere & Bacchho friget Venus: nec iræ in animis humilibus & ad parendum natis locus est. Si fuerint in miserabilem statum ex florente dejecti, cor illorum tristitiâ & mœrore angitur, quibus omnibus spiritus figuntur, imminuuntur.

Opus jam est, symptomatum podagræ, ut verè me dogmaticum Medicum præstem, rationem reddere, inter quæ omnium primum dolor se ostendit, & Medicum ad sui considerationem convertit.

Hunc veteres falso à continui solutione oriri crediderunt. Nâm, ut rectè contra eos infertur, si dolor esset â solutione continui, tunc vulnerati, facta per vulnus continui solutione statim ab inflicto vulnere dolerent, cum tamen experientia constet, vul-

nus

nus in principio indolens esse. Quare cum multis recentiorum statuo dolorem oriri tùm â distētione fibrillarum nervosarum, quæ distentio fit ab humoribus in partes irruentibus eorumque porulos, seu, ut quidam loqui amant, tubulos undiquaq; replentibus, & copia fibrillas nervosas distententibus, non secus ac in equuleo partium distentione maxima tormenta concitati solent; tum ab humorum acrimoniâ easdem fibrillas nervosas lancinante, vellicante. Quare in vulneribus tùm demum dolor accedit, quando humores ad partem affectam & læsam ex massa sanguinea accurrunt, eamque gravantur. Quo major autem fibrillatum nervosarum in parte aliquâ copia adest, eo exquisitius etiam ea sentit, & in statu præternaturali dolet, quales sunt partes membranosæ. Quia igitur ab humoris seroſi & sanguinei in partes membranosas articulos circūvestientes influxu validissima earum distentio, & ab ejus acrimonia lancinatio & vellicatio facta fuit, non mirum est, etiam

iam dolores podagricorum esse sævos & immanes. Imprimis ignis, & quicumque naturam ignis æmulatur, spiritus vitalis, arterioſus, particulis suis acutis, pungitivis, partes membranoſas pungendo sævum dolorem & inflammationem in iis excitat, non aliter ac urtica lanugine suâ spicatâ erectâ partes urit, inflammat, quæ verò urendi virtus in flaccescente herba, & suam lanuginem spiculatam amittente, perit. Quapropter ad dolorem arthriticum demulcendum desiderantur talia remedia, quæ sua mucilagine viscoſa particulas inflammantes, acutas humoris arthritici obviscant, obtundunt, & ita acrimoniam humorum mitigant, simulque fibrillas nervoſas nimis distentas relaxant, emolliunt, qualia sunt mucilago sem. cydon. psyllii. cum aqua roſar. extracta, lac bubulum: vel quæ dictum humorem ad partes irruentem reprimunt, repellunt, qualia sunt vitriolacea, aluminoſa, de quibus suo loco dicetur.

Interim non negari potest quam-

plu-

plurimos esse podagricos, qui vix ullum dolorem sentiunt, quod mihi exinde provenire videtur; quia humor podagricus in talibus magis extrorsum fertur, quàm ad partes membranosas articuli, quarum porulos subeat, & distentionem ibi exciret, vel suâ acrimoniâ eas vellicet, unde etiam in podagra dolorosa in principio dolor multo major est, quia humor peccans adhuc intus detinetur, quàm quando ille tumore superveniente extrorsum vergit, & internas partes deserit; qualia etiam in odontalgia fieri observantur, in qua tumente malo dolor plerumque mitescere solet.

Motus impotentia, qua podagrici laborant, oritur, quia in arthritide ossium capita, seu ea pars, ubi duo ossa sibi invicem coarticulantur, ab humore influente afficitur, quæ ut salva sit ad motum maxime necesse est. Nam ut janua, si ejus cardines ab aliqua re interveniente obstructi sint, non claudi & aperiri potest; sic laborantibus ossium cardinibus morbo aliquo, eorum

motus

motus impediatur neceſſe eſt. In lue Venereâ ſunt quidem etiam oſſa morbo affecta, carioſa, corrupta, & inſigniter dolent, verùm ibi potius oſſium medietas, quàm eorum principium laborat; unde etiam non tanta ibi motus impotentia eſt, quàm in arthritide.

Pulſus, tumor ruber, venarum circa tumorem intumeſcentia, facile indicant, cui humori ſint aſcribenda: unde enim provenire poſſunt, niſi a ſanguine arterioſo ſero permixto cavernulas membri affecti infarciente, atque illud in tumorem rubrum attollente? uti pulſus ſanguinis arterioſi ſpiritibus commotis, irritatis, venarum intumeſcentia copioſo ſanguinis influxui ſuum ortum debent.

Febre non quidem omnes podagrici laborant, ea tamen frequenter admodum podagram comitatur, quare ſcire etiam intereſt, qualis ea ſit, & unde proveniat.

Hanc autem omnes Medici, exceptis pauciſſimis, dicunt eſſe ſymptomaticam potius, quàm eſſentialem.

Gale-

Galenus celeberrimus Hippocratis interpres, uti eum Carolus Piſo conſil. d. arthrit. nominat, hanc febrem articulorum nominat, quia focus ejus in ipſis articulis exiſtit: atque eam ſymptomaticam eſſe etiam ego credo. Nam humore arthritico ex maſſâ ſanguineâ ad articulos rejecto, oritur partis dolor, inflammatio, unde ſpiritus arterioſi propter læſionem ejus irritantur, tumultuantur, & febrem accendunt. Ὁμόψιφον hîc etiam habemus Felicem Platerum. Ille libr. d. habit. corpor. cauſ. cap. 16. ſtatuit in arthritide, quam aliqui calidam vocant, quia febrem comitem habet, ſanguineum humorem ex venis in articulorum regiones nervoſas latum eisque inſinuatum diſtendendo, caloreque ſuo inflammante dolorem arthriticum efficere, febrem ſynocham accendere, quæ plerumque arthritidi calidæ ſtatim ab initio ſuperveniat, aliquamdiu ejus comes ſit, & qualis etiam tumorem eryſipelaceum ſequatur: unde ægri podagræ & febri obnoxii

poda-

podagræ timore, quando illa invadit, erysipelatis opinione se consolentur. Est autem Platero & antiquis febrem accendere idem, ac recentiobus Medicis spiritus vitales turbare, agitare, & in præternaturalem effervescentiam impellere, nisi quod ut veteres suâ appellatione effectum, ita recētiores suâ, & quidem rectius, causam notaverint, quia effervescentia præternaturalis sanguinis causa est æstus & incendii febrilis in sanguine. Quia igitur inter omnia symptomata ad irritandos spiritus nullum aptius est, quàm dolor præprimis inflammans, ideo in podagra, affectu admodum dolorifico, frequentius febrem accendi videmus. Hæc autem febris prout dolor vel major est, vel minor, vel brevior, vel diuturnior, etiam magis vel minus affligit, brevior vel pertinacior est. Quare non audiendus est Carolus Piso & cum eo (Viri aliâs Celebertimi) Dan. Sennertus. Ille enim, ut illum communem Medicorum consensum, nempe febres podagricorum symptomaticas esse, di-

rime-

rimeret, contendit eas esse essentiales. Nam si hæ febres sunt istius naturæ, uti Piso quidem putat, ut per suam effervescentiam humori in articulos irruenti dent impetum, quo is in articulos feratur, certè hæ febres ante doloris podagrici invasionem essent majores, materia verò arthritica ad articulos perlata minores, vel plane desinerent. Nam materia peccante adhuc in venis conclusa, ille impetus effervescentis sanguinis, quo mediante illa ad articulos ferri debet, febrem facillime prodet, eâ verò ad articulos delatâ, cessabit etiam ille ipse impetus & effervescentia febrilis, quæ in gratiam humoris eliminandi à naturâ instituta est, quia ea jam suum finem assecuta est, quo cessante, uti Philosophi dicunt, etiam ipsa actio propter finem facta, cessat: & quidem talia observantur in omnibus febribus critieis, ut variolis, morbillis &c. Verùm in podagra potius contrarium accidit, & ante fluxionem arthriticam febris vel nulla apparet, vel ita parva est & inconspicua,

ut

ut præ parvitate, uti nec ipse Piso diffitetur, assistentes fallere soleat, in morbi progressu verò major & conspicuosior fit; quo ipso satis probatur, febrem hanc arthriticam non esse essentialem, sed symptomatibam. At instat ulterius Piso & dicit, etiam cessantibus doloribus febrem nihilominus urgere, quæ si esset à dolore, eo cessante etiam ipsa statim desineret; verùm nec illud satis probat febrem podagricorum esse essentialem. Nam ut â manu hominis projectus in aerem lapis, quiescente etiam manu, quæ eum projecit, nihilominus adhuc per aerem movetur; ita etiam cessantibus licet doloribus podagricis illa febris, quæ ab iis excitata est, nihilominus adhuc durare potest, sufficit eos impulisse concitasse sanguinem ad orgasmum febrilem. Respondeti potro Pisoni potest superfluas illas serositates in sanguine collectas falso ab eo præsupponi, neque ideo febre opus esse, cujus impetu eæ ad articulos propellantur.

Ne tamen omnia huic authori negem

gem, & mihi ipsi contradicam, statuo in omni podagra, præprimis sanguineâ & calidâ dictâ, sanguinem ejusque spiritus etiam ante fluxionem commoveri, agitari, hancque commotionem & orgasmum massæ sanguineæ fluxionem podagricam promovere, neque materiam peccantem sine eâ ad articulos ferri, non tamen eam comotionem febris nomine dignam esse, sed esse potius dispositionem quandam ad febrem, quæ supervenientibus doloribus podagricis, & spiritibus vitalibus ulterius per eos irritatis & efferatis deinde facile in febrem exardescat: & quemadmodum in hæmorrhagiis, arthriticis etiam familiaribus, sanguis quocunque modo commotus & agitatus etiam citra febrem oscula venarum referat, earumque claustra inodicè ferociens reclaudit, atq; suum purpureum liquorem profundit; ita in arthritide spiritus lascivientes & ferocientes non in suis alveolis contineri, & ita coerceri possunt, quin unâ cum sero vehiculum eis accommodante, ad

articulorum partes membranosas prorumpant, atque in iis dolores podagricos concitent.

Certis intervallis, ut pergam ulterius in explicandis symptomatum morbi nostri causis, suam exercere tyrannidem podagram notissimum est, idque illa cum aliis fluxionibus seu catarrhis commune habet. Nam quia ad horum generationem non solùm humorum commotione & orgasmo opus est, qui â causis, externis & remotioribus certis temporibus concitetur, sed etiam simul concurrit partium imbecillitas, ideo consumptâ licet fluxionis materia, & defervescente sanguine, perstante tamen adhuc partis imbecillitate, etiam vitream taliter affectorum sanitatem esse, nec tutam & omnino stabilem pacem, sed saltem inducias iis â morbo concessas esse, nec diutius duraturas, quàm usque dum massa sanguinea novum fervorem atque æstum concepit, quo partes articulorum imbecilles, atque ideo periculo magis expositas inundet, credi necesse est, Hæc intervalla

la seu paroxismi per annos & in anno plures vel pauciores sunt, prout causa morbi vel major est, vel minor, & prout ægrotus magis obediens est in observandis Medicorum præceptis, vel non. Illud etiam verissimum est, paroxismos arthriticos in principio morbi non tàm crebro invadere, quàm in ejus progressu, & debilitatis jam ægri viribus.

Non sensim & sensim, quod faciunt morbi, qui â congestione humorum oriri dicuntur, sed subito articulos adoritur podagra, uti mos est morbis catarrhosis; est enim materia serosa præprimis spiritu arterioso, subtili, fervido incitata fluxilis, viæ, nempe arteriæ & venæ sunt expeditæ, patentes, nec fluxionem remorantes.

Tumores podagricos â serositate, &, si rubri sint, sanguine ei permixta influente, atque partem affectam in tumorem attollente, pronasci modo fuit dictum. Neque credere possum, quod tamen alii volunt, eam rubedinem â sanguine in suâ circulatione impedito,

atque ideo ſtagnante oriri, ceu dicunt fuliginoſas, heterogeneas, ſucco nervoſo inſitas particulas circa articulos ſtagnare, membranas nerveas diſtendere, & ita ſanguini circulando viam præclaudere. Nam ſubitanea humoris tàm in arthritide, quàm in eryſipelate (morbo podagræ conſimili, in quo pars affecta in uno quaſi momento in immenſum tumorem exſurgit) influxio argumentum eſt, humoris cum impetu potius in partem ruentis, quàm, quod in prævia partis obſtructione fieri neceſſe eſſet, lentè & per moram in ea collecti: inſigne præterea emolumentum roborantium & aſtringentium topicorum in tumore podagrico diſpellendo, magis arguit viarum laxitatem, quàm obſtructionem, quæ per aſtringentia topica certe augeretur. Quid deinde reſpondere poſſent ita ſentientes, ſi iis opponeretur, in arthritide vaga humorem, dolorem & tumorem, vel per ſe, vel applicato remedio repellente admodum eſſe mobilem, vagum, & modo in hac, modo

in

in alia parte consistere, quod etiam esset impossibile, si obstructio ad impediendam sanguinis circulationem ad efficiendum tumorem podagricum necessaria esset? Quid denique, quod istiusmodi tumores calidi non solùm sponte, sed etiam à topicis calidioribus imperite applicatis, sanguinem ad partem affectam allicientibus, attrahentibus causentur, quæ vero magis propter suam penetrandi virtutem inaperientium, quam obstruentium classe ponenda sunt?

Tumores podagricos non suppurari, nisi rarissime, verùm resolvi, nemo nescit; ratio est, quia particulæ seroſæ & sanguineæ, spirituosæ, hæ propter suam summam subtilitatem, illæ propter suam aqueam substantiam sunt resolubiles, quod etiam in aliis tumoribus, quos ut Guilielmus Ballonius à phlegmone distingueret, tumores phlegmonodes appellare consuevit, accidere solet, ut in erysipelate, ophthalmia, odontalgiâ cum mali, palpebrarum, pedis tumore &c. conjunctâ, suppu-

ratio autem particulas ſanguinis craſſiores exigit.

Si tamen podagra pertinacius & diutius affligit, tumores podagrici in nodos & tophos, vel tumores materia calciformi refertos concreſcere ſolent, cujus materiæ ortus terreſtriori lymphæ parti debetur. Nam ſi ſal aliquod, aut tartarus horum tumorum materia eſſet, tunc materia & calculi ex iis exempti in aqueo liquore liqueſcerent, ceu quoque ſalina in menſtruo aqueo facile diſſolvuntur, verùm hoc non fit in tophaceâ & calciformi podagricorum materia, exigente eâ, & calculo renum, ad ſui diſſolutionem ſpiritum acidum quendam. Hæc verò materia terreſtris in ſero oritur, quia chilus in inteſtino duodeno non ita perfectè à ſuis impuritatibus ſegregari potuit, quin infinitæ moleculæ terreſtres chilo immixtæ adhuc permanerent, quarum indices ſunt, ſordes in manibus & pedibus, immo in toto corpore cuti adhærentes, rophacea materia ad oculi canthos ſuborta, materia ſabuloſa in

urinis

urinis etiam ſaniſſimorum hominum contenta, & ad fundum matulæ tandem deſidens. Hæc materia terreſtris, uti in ſanis cum ſudore, urina ſine moleſtia expelli ſolet, ita in ægrotantibus, nephriticis ſcilicet & podagricis, calculo, tophis (ne falſo tartarum vel materiam calciformem in vino contentam & maſſæ ſanguineæ communicatam hujus noxæ inſimulemus) materiam ſuppeditat; ſive, quia particulæ terreſtres lymphæ exhalantibus aqueis in inflammatis renibus, articulis, remanent, ſive, quia eæ ad partes incendio quaſi conflagrantes, & exſiccatas præcipitantur. In hujus rei doctrinam ſequens exemplum fœminæ calculoſæ inſervit. Hæc virgo, cum acum eburneam, qua mulieres crines nectere ſolent, in loca muliebria immiſiſſet, atque ea ſeſe fricare vellet, eam imprudenter in collum veſicæ intruſit, ibique fregit, & fractam (celans præ pudore factum) per aliquot tempus reliquit; verùm cùm indies ad acum, utpote materiam ſiccam ſeſe particulæ

lotii terrestres præcipitarent, eam undiquaque investirent, atque ei firmiter adhærerent, tunc acus indies grandior facta, orificium vesicæ occludere, & urinæ fluxum remorari cepit: unde puella, urgente malo, Medicum accersere fuit coacta, qui laxatis prius oleo pudendi partibus, acum deinde extraxit, quam extractam, & materia fabulosa investitam, memini ab Excellentissimo Molinetti, cum Patavii studiorum gratia essem, publice studiosis fuisse ostensam. Est igitur tophacea materia in calculo, arthritide, non causa morbi, sed ejus materia ex qua componitur; causa vero efficiens coagulator, est spiritus ille renes & articulos inflammans, quem spiritum λιθοποιητικὸν quidam acidum volatile vocant, ego verò potius acrimoniæ alkalinæ participem esse credo, atque per acida volatilia destruendum, quæ acida calculum in atomos resolvunt, atque calculosis exhibita sæpius interdum non pœnitendam operam navant. Luxationes fiunt, quia à crebrioribus materiæ arthriticæ

thriticæ influxibus ligamenta, quibus aliàs ceu retinaculis ossium capita in suis sinubus retinentur, relaxantur, quibus relaxatis ossis caput ex suo sinu excidit.

Oedemata in principio non adsunt, sed inveteraſcente morbo jam superveniunt: quippe natura jam tot morbi insultibus fatigata, etiam partibus affectis indies debilioribus redditis, fluxionis materiam non amplius resolvere potest, sed tumorem œdematosum procreat.

Sunt etiam alia symptomata & morbi, qui podagricos affligere solent, ut nephritis, hæmorrhagiæ, quorum ratio, quia reddita est, jam repetere non est opus.

Unicum phœnomenon adhuc explicandum restat, quod nobis sanguis podagricorum ex venâ sectâ eductus exhibet. Is ut plurimum aquosus apparet, atque serum multum, spissum, & instar glutinis cohærens ostendit, sub quo latitat pauca sanguinis quantitas, aliquando incorrupti, aliquando adu-

ſi, craſſi. Iſtiusmodi ſanguinem etiam ſæpius emittitur iis, qui obſtructionibus meſentericis & melancholia hypochondriaca laborant.

Ne verò hoc ſanguinis ſchema cuiquam imponat, ut cum vulgo credat hunc eſſe pituitoſum, frigidum, vel cum Ariſtotele ſanguinem crudum & incoctum: tantum enim abeſt, ut talis ſanguis, crudus, frigidus & pituitoſus cenſeri debeat, ut potius exceſſum fervoris & caliditatis denotet, atque noſtram de cauſa podagræ conceptam opinionem non parum ſubfulciat. Nam ſanguis quo ſpirituoſior & plus juſto fermenteſcibilis eſt, quoque diutius & ſæpius in vaſis efferbuit, eo magis in ſeroſam materiam reſolvitur, & colliquatur, non ſecus ac lac diu multùmque agitatum, ſecedentibus ejus ſeroſis particulis à pinguibus in lac cogi ſolet, ſeroſa ejus pars verò per ſanguinis fervorem, ac ſi ſubigne cocta fuiſſet, ita inteſſatur, & inſpiſſatur, ut gluten vel lardum referat. Spirituoſitatis & fervoris evidens argumentum

tum non ſolum eſt, quod ſymptomata morborum â tali ſanguinis conſtitutione provenientium internum æſtum & calorem præternaturalem ſatis deſe prodant, ſed etiam, quod, qui iſtiusmodi ſanguinem ſortiti ſunt, vivida & vegeta quoad cetera, corporis conſtitutione præditi ſint. Ita Guillelmus Harvæus de generat. animal. exercit. 52. p. m. 214. in calidioribus & robuſtis animalibus, ut equis, bobus, hominibus ſanguinem emitti, & cerni aſſerit, cujus pars in foras educto & grumeſcente ſuperiorem partium rubrarum locum occupans condenſatur, & gelatinam ex cornu cervi, ſeu mucilaginem quandam, aut albumen ovi craſſius plane refert. Hanc ſanguinis partem non crudam & frigidam æſtimandam eſſe ſe duplici experimento edoctum fuiſſe, inquit ille inſignis Angliæ Doctor. Primò, quod floridæ & rutilanti parti (quam ſanguinem arterioſum eſſe vulgo exiſtimant) tanquàm calidior & ſpiritu plenior ſupernater, locumque ſupremum in ſan-

guinis disgregatione obtineat. Deinde, quia in venæsectione sanguis hujusmodi prosiliens (qui plurimus abundat hominibus calidæ temperaturæ robustis & torosis) longiore filo impetuque vehementiore, tanquàm è siphone elisus exilit, ideoque eum calidiorem & spiritalem magis, quàm ceterum sanguinem esse judicat, quemadmodum & genitura fœcundior spiritibusque plenior æstimatur, quæ longè validèque ejicitur.

Qua ipsa doctrina nihil in medium proferri potest, quod magis opinionem meam de causa podagræ confirmet; cum ubique in podagra impetum facientem spiritum vitalem, præternaturalis orgasmi authorem, ægreque intra limites suos domabilem accusaverimus. Sive igitur hæc seri concreta & incrassata pars præ sanguine plurimo spiritu turgeat, sive eum à sanguine habeat, certum tamen est hunc prosiliendi impetum à nulla re, quàm à particulis sanguinis activis & spirituosis provenire posse, non secus

te arteria phlebotomo pertusa dat sanguinem διπροδιάζοντα, ist est, cum tripudio erumpentem. Atque hac ratione etiam me responsurum & satisfacturum confido cuidam Viro Doctissimo, qui mihi objicit sanguinem & serum in vasis sibi invicem permixta esse, utraque æqualiter calere, seorsim verò si examinentur serum æque salinum & sulphureum esse, quàm sanguinem grumosum. Nam uti calorem & acrimoniam sero inesse nunquam negavi, ita illud saltem contendo serum in podagra non â sulphure, non â sale quodam, vel alia re suum calorem & acrimoniam habere, sed â spiritibus sanguinis nimis acribus & volatilibus calere & acrescere, quam spirituum acrimoniam alkalini salis potius, quàm acidi naturam redolere inferius ipse dixi: & si acrimonia illa â sulphure vel sale aliquo proveniret, illa tamen impetuositas, ut ita loquar, principium magis activum, quàm sulphureum & salinum est, exigeret, & nulli rei verius, quàm spiritibus, quo serum nimis turget,

turget, aſcribi poſſet. Neque magis ſeri inſpiſſatio, & coagulatio exceſſum principii ſalini vel ſulphurei arguit. Noveram olim mulierem quandam, quæ per imprudentiam os grandiuſculum devoraverat, quod in ventriculo per aliquod tempus dimorans, neque enim fermento ventriculi illud reſolvi, neque medicamentis loco moveri poterat) acriter eum afflixit, & prementem dolorem excitavit; impetrata fuit ægrotæ venæſectio, effluxitque ſanguis ſerum ſupra ſe habens inſtar gelatinæ inſpiſſatum & coagulatum; quo ipſo iterum demonſtro, iſtiusmodi ſeri coagulationes & inſpiſſationes à ſolo rapidiore & concitatiore ſanguinis motu, ſpiritibus ejus propter offenſam partium ſolidarum irritatis & quaſi efferatis, etiam præter principii ſalini & ſulphurei acceſſum produci poſſe. Errat etiam Carolus Piſo & alii, qui ſanguinem ſeroſum podagricorum contemplantes, ſolumodo abundantiam ſeri in podagra accuſant, ſanguinem verò omni culpa eximere conan-

conantur : debuissent enim potius hîc qualitatem, quàm quantitatem humoris peccantis attendere, præprimis, cum ille excessus seri, non morbi causa, sed productum sit. Quare etiam Joh. Fortis in atrabilariis constitutionibus serositates adustionis sobolem, & quo adustior sanguis est, eo etiam serosiorem esse affirmat, & alibi serositates in melancholiis non esse â frigiditate congelante, sed â caliditate colliquante oriri asserit : quod nec ipse Piso diffitetur, dum inquit, homines natura calidiores sanguinem serosum sortiri.

Illud autem notandum est, non semper ab initio podagræ talem sanguinem apparere, verùm quandoque tùm demum, postquam morbus per longum tempus ægrotum exercuit. Quare Joh. Fortis Medicus Patavinus, quando dicit arthritidem fieri â bile & pituita commotis, podagram verò â sanguine & pituita corrupto, non tàm diversos affectus, quàm diversum tempus unius, notasse videtur, ut per ar-

thri-

thritidem intelligat podagræ initium, quo sanguis adhuc incorruptus existit, per podagram verò morbi progressum, quod etiam ex ipsius scriptis facile colligi potest.

CAPUT III.

De Differentia Podagræ.

DIfferentiam podagræ antiqui Medici duplicem constituunt, calidam & frigidam. Frigidam statuunt oriri ab humore pituitoso, calidam â bile & sanguine. Cum iis mihi nulla est controversia, si per pituitam serum seu lympha intelligatur; neque aliam agnosco bilem in massa sanguinea, quàm subtiliorem & spirituosiorem, & ideo acriorem sanguinis partem.

Sit igitur podagra alia lymphatica seu serosa, alia sanguinea. Si sola lympha seu serum podagram progignit, id cognoscitur ex tumore partis affectæ albo, dolore obtuso magis & gravativo, quàm acuto; alvo existente liberâ, febris, & aliorum signorum caliditatem indicantium absentia, quando

frigi-

frigida remedia nocent, calida juvant. Sed solum humorem serosum podagram causari posse negant Platerus, Sennertus & alii, quia is sit omnis acrimoniæ expers, quæ tamen ad tanti doloris productionem, qualis podagricus est, omnino necessaria sit. At sciendum est, non omnem podagram esse summè dolorosam, immo quandam doloris esse ferè expertem, nec omnem podagram oriri ab influxu solius humoris serosi, sed quandam saltem ejus speciem, nec serum omni destitui acrimonia, cum ei insint particulæ nitrosæ suâ inimicâ qualitate nervos, membranas lædentes, vellicantes: quare etiam Guilielmus Ballonius passim in suis scriptis fluxionum nitrosarum meminit, nec omnem dolorem oriri ab acrimonia humorum fibrillas nervosas lancinante, vellicante, sed etiam provenire eum à copia & nimiâ quantitate humorum peccantium tubulos nervosos subeuntium, eosque valide distendentium.

A calida causa & sanguine prona-

tam

cum podagram oſtendunt partis affectæ rubor, pulſatio, inflammatio, dolores acutiſſimi, præſentia febris, habitus corporis plethoricus, alvi obſtipatio, ſanguis e vena inciſa eductus ſeroſus, aduſtus, corruptus, noxa â medicamentis calidis, juvamen â frigidis. Hæc podagræ ſpecies multo frequentior eſt illa altera, immo vix eſt podagra, quæ non arguit humorem acrem, inflammantem. Licet etiam in ea, quæ calida dicitur, non ſolus ſanguis materiam fluxionis conſtituat, ſed neceſſario etiam adſint multæ ſeroſitates, quæ ſanguini arterioſo acri, ſubtili quaſi vehiculum præbeant, ut is unâ cum iis permixtus ad articulum ferri poſſit. Quare Joh. Fortis, inquit, arthritidem fieri â bile & pituita commotis, id eſt, quando ſerum ſeu lympha unâ cum acriore & ſpirituoſiore ſanguinis parte in maſſa ſanguinea fuerit commota, atque ad articulos perlata. Neque enim poſſet bilis, ſcilicet ſanguis ſpirituoſior & ſubtilior, fluere in articulos ſine vehiculo humoris ſeroſi ſeu pituitæ

tæ, nec ſolum ſerum tantos ciere dolores, inflammationes, ſine mixtura ſanguinis ſubtilioris, acrioris, bilioſi, qui tanta acrimonia & caliditate præditus eſt, ut à quibusdam recentiorum Medicorum nomine ſolis cauſtici, tartari infernalis, acidi peregrini appellari meruerit.

Alia conſtituitur differentia podagræ à Medicis, ratione termini à quo fluxio podagrica oriri creditur, atque quædam dicitur ortum ſuum habere à capite, alia ab hepate; ſi hepar in culpa eſt, fluxionem podagricam ferri per venas ad articulos, ſi à capite per nervos & occultos mæandros eam portari ſibi perſuadent. Verùm podagram non oriri ab hepate argumentum eſt, quod nulla adſint affecti hepatis ſigna, & indicia, & ſi adeſſent, id ſit potius coaffecto hepate, quàm ut morbus ab eo primariò dependeat. Addit Carolus Piſo, ſe unius alteriusve podagra defuncti cadaver diſſecuiſſe, neque hepar, vel aliud viſcus in inferiore ventre contaminatum ſe obſervare potuiſſe.

Nec

Nec vero ſimile eſt fluxionem a capite ad articulos depluere poſſe, quanquàm tuſſes, catarrhi, vertigines, ptialismi ſeu ſputationes multis podagricis familiares, cerebrum primario affectum arguere poſſint. Nam, uti falſò præſupponitur cerebrum fontem pituitæ & inde ortorum catarrhorum eſſe, quia etiam in ipſiſſimis cerebri affectibus fluxionis materia immediate ex maſſa ſanguinea ſuppeditatur, atque cerebrum conſtituit terminum non â quo fluxio incipiat, ſed ad quem ea tendat, ita hæ tuſſes, catarrhi, & ſi quæ alia ſunt, non indicant cerebrum primario eſſe affectum, & humorem ab eo derivari, ſed fluxionem immediate per arterias ex maſſâ ſanguineâ in affectas glandulas deſinentes ferri, atque cauſam fluxionis, vel in maſſa ſanguinea, vel in ipſis partibus affectis, non verò in inſonte cerebro inquirendam eſſe. Unde recte Helmont. tit. catarrh. "deliram. verſ. 3. Non ergo ex uno ca"pite humano ſc. (unde nimirum o"mnes catarrhos depluere commini-

ſcun-

ſcuntur ſcholæ) ſed ex propria cujus-" que partis idiopathia, ſeu propria in-" diſpoſitione fermentis topicis ſuper" inductâ, morbi oriuntur, & paulo" poſt: verſ. 8. Sunt ergo iſtiusmodi" excrementa partium defectus topi-" ci, eſtque ſua cujusque partis debili-" tas, ſive innata, ſive acquiſita ſit, cum" diminutione vegetantis fermenti, &c." verſ. 38. loc. cit. Quapropter cœpi" animadvertere, quodlibet membrum" male affectum nedum plurimum ex-" crementi ſui, ſed etiam adverſi fabri-" care. Si igitur in aliis morbis præter ſanguinis orgaſmum quælibet partis affectæ imbecillitas & læſio fluxionis ad eam ruentis cauſa exiſtit, tunc neque in arthritide caput inculpandum erit, ſed ipſorum articulorum læſio atque imbecillitas, ſive innata ſive per errores in diæta acquiſita, fluxionis podagricæ cauſa primaria, & incitamentum erit.

Ratione termini in quem fluxio terminatur, podagra multifariam differt Modo enim fluxio ad pedes fertur, & dici-

dicitur verè podagra; modò ad manus & chiragra; modò ad genua, & gonagra appellatur. Ea quoque fluxio, quæ ad caput ossis ischii, ad homoplatas decumbit, inter arthriticas refertur. Si ab humore arthritico unius alterve tantùm articulus impeditur arthritidem particularem, si omnes articuli simul dolent, universalem nominare consuetum est.

Modus etiam fluxionis & inde nati doloris est diversus. Si enim dolor est fixus & in parte quapiam immobilis, verè podagricus audit; si verò modò hunc, modò illum articulum occupat, nullam habens certam sedem, arthritis vaga, scorbutica appellari solet.

CAPUT IV.

De Podagræ signis Prognosticis.

EXaminanda jam sunt signa prognostica podagræ, ex quibus discimus, an ea curari possit, & qualem eventum habitura sit.

Podagram esse incurabilem, Medicorum flagellum, opprobrium, vul-

garis

garis est opinio. Notus etiam est Ovidii versiculus:

Tollere nodosam nescit Medicina podagram.

Galli dicunt: *En la fievre quarte & goutte, le Medicin ny voit goutte. In febre quartana & podagra cæcutire Medicum.* Ego verò licet curationem podagræ difficilem agnoscam, non tamen de Medicina tàm malè ominabor, ut hunc morbum in incurabilium catalogum transcribam, atque nullum auxilium contra eum ex arte nostra impetrari posse credam. Magis dixerim, podagricorum plurimos ideo non curari, quia suos affectus moderari nesciunt, atque in diætâ seu vivendi ratione Medicis sese inobedientes præstant. Nam hoc est certissimum, sine accuratâ vivendi ratione omnia medicamenta contra arthritidem data esse vana & inutilia: quotusquisque autem est ægrotantium, qui sese istiusmodi diætæ subjicere possit. Quosdam tenet immensa bibendi voluptas, alii in iram proclives sunt, alios Veneris immodc-

rata

nata libido transversos agit, à quarum rerum cupiditate etiam aureæ sanitatis promissis non abstrahi possunt. Cuidam podagrico sedulò â Medico inculcatum fuerat, ut si a podagra liberari vellet, sibi à Venere temperaret, verùm ægrotus dixit, se malle quævis mala a morbo perpeti, quàm tanta dulcedine privari. Interim non negari potest, Medicos sæpius non esse extra culpam, qui non satis cognita causa, vel falsa hypothesi decepti, ægrotis noxia propinant, vel ad morbum utilia dare prætermittunt. Incertitudinis evidens argumentum est, quod Medici etiamnum de causa podagræ litigent, nec adhuc inter eos statutum sit, cui rei tam diri morbi ortus imputandus sit.

Est autem podagra recens curatu facilior, quàm inveterata. Nam in diuturno malo, debilitatis jam per tot insultus podagricos articulis, atque sanguine & sero ad istiusmodi excursiones nimium assuefacto, quid remorari poterit hostem tàm ferocem, tot victoriis

victoriis superbum, atque ideo remediorum auxilia facile despicientem? Quare in podagra verum est quod etiam in aliis morbis, in quibus principiis obstandum, ne serò Medicina paretur, quando malum nimis diu invaluit.

Podagra, quæ nondum tophos contraxit, in ægro juvene, alvum lubricam habente, facilius curatur, quàm tophacea reddita, ætate provecta, & alvo sicca.

Podagra hereditaria Medico magis refractaria est, quàm quæ per malam vivendi rationem fuit contracta, imo est plane juxta Lazarum Riverium incurabilis; ratio est, quia morbus per malam vivendi rationem corpori & sanguini contractus per contrariam diætam, & bona remedia emendari potest, qui autem nobis innatus est, & quasi naturalis factus, vix curationem admittit.

Podagra, quæ, ut cum Hippocrate & Joh. Forti loquar, â bile & pituita commotis oritur, facilius curationem

 susci-

ſuſcipit, quam ea, quæ eſt â ſanguine â bile & pituita corrupto, qualis ê vena ſecta educitur. Eſt enim talis corruptio ſignum mali profundè radicati. Nam per tot lymphæ & ſanguinis arterioſi & ſpirituoſi orgasmos & commotiones ipſa maſſa ſangnineaſuam conſuetam formam & colotem perdit, atque craſſa, impura, aduſta redditur.

Oedemata etiam cachexiam indicant, & malum provectius oſtendunt.

In omni podagra fluxionem ab articulis introrſum verti malum eſt & periculoſum : indicat enim naturæ debilitatem, quæ fluxionem amplius ad exteriora promovere nequit : unde ea ad interiora, vel partem aliquam principem ruit. Semper ex adverſo bonum eſt, ſi fluxio ab interioribus ad externa convertatur, ita ſæpe obſervatum eſt, doloribus arthriticis colicos, & colicis, arthriticos ſucceſſiſſe, fluxione modo ad articulos, modo ad inteſtina ſe convertente. Multi podagrici, ruente fluxione ad organa reſpi-

rationis

rationis, asthmate lethali fuerunt correpti. A fluxione arthritica pleuram, pulmonem invadente, pleuriticos & peripneumonicos incurabiles affectus productos novi. Articulorum dolores superveniente asthmate, & hydrope multis desierunt, sed est successio (uti ex Aretæo & Gabucinii Cœnent. Joh. Schenckius notat) malum inevitabile, & immedicabile secum portans. Multis podagricis dolor arthriticus in epilepsiam, apoplexiam, affectus soporosos (confer Carolum Pisonem) fuit conversus, natura serositates ad articulos deferri solitas in cavitatem cerebri propellente,

Dolores podagrici, si se ad jugulum usque extendere incipiunt, mortem utplurimum imminere denotant, juxta Joh. Dolæum Encyclop. & ita nullum ferè viscus est, & pars corporis nostri, vel in infima, media, vel in suprema cavitate constituta, quæ ab invasione fluxionis podagricæ, labascentibus ægri viribus, secura sit.

Omnis sanguinis fluxus podagræ

superveniens utilis est, quia sanguis in articulos retundans, atque in iis implacabiles dolores excitans, per alias vias depletur. Sic in quodam militiæ Præfecto & podagrico, hæmorrhagia narium dolorum levamen attulit; sic in viris hæmorrhoidum, in sequiore sexu mensium fluxus instans bonum portendit. Quidam hæmorrhoidibus iterum fluentibus â podagra & chiragra liberatur, cujus meminit Petrus Forestus libr. 26. obs. 4. Memorabile exemplum est, quod refert Henricus ab Heer libr. 1. observ. 23. Erat Matrona octogenaria, quæ contra præceptum Medici acidulas spadanas biberat, â quarum potatione, maximam hæmorrhagiam narium sensit, atque â podagra liberata fuit, vivens adhuc octo annos immunis ab hoc morbo.

Varices si podagricis superveniant, bonum est, uti docet Petrus Forestus libr. 29. in scholiis obs. 4. Bonum autem est propter sanguinis articulos aliàs invadentis in tumores varicosos decubitum.

Pro-

Prodeſſe ulcera arthriticis monet Nic. Tulpius obſerv. 8. libr. 1. quia materia ſeroſa arthritica in alium morbum inſumitur. Malum eſt, ſi evacuationes ſanguinis ordinariæ & conſuetæ in podagricis ſiſtantur. Nam omnem interceptionem conſuetæ evacuationis ſequi ſolet id genus dolorum, & hæc omnia conſentiunt cum Hippocratis & Galeni decretis. Joh. Schenckius ex Victore Trincavellio de ration. curand. part. Unde mulieres ſuppreſſis aut puerperiis, aut menſtruis purgationibus, articulorum doloribus facile capiuntur, viri verò frequenter, intercepto ſanguinis per mariſcas purgari ſoliti fluore. Idem loc. cit: ratio eſt facilis. Nam ſanguis per hoſce fluxus eſſe exonerare ſolitus, iſtis ſubſiſtentibus exitum quærens, nec eum inveniens, cum impetu ad articulos ruit, atque ibi tempeſtatem arthriticam ciet.

CAPUT V.

De indicationibus & curatione Podagræ.

INdicationum curativarum in podagra tot sunt, quot sunt ejus causæ: quædam autem respiciunt humores, causam fluxionum & dolorum podagricorum materialem & immediatam, aliæ causam efficientem fluxionis, quæ est spirituum & sanguinis commotio & orgasmus, tum etiam articulorum imbecillitas. Inter humores serum vel solum, vel, quod sæpius fit, sanguine arterioso subtili & spirituoso immixtum, certis temporibus effervescens, & ad articulos latum podagræ causam esse dixi.

Expedit igitur in curatione humorem seroſum vel sanguineum ab articulis revellere, retrahere, aliorsum derivare, & per vias convenientes educere, eliminare, spiritus nimis volatiles figere, nimis acres mitigare, exorbitantes in ordinem redigere, eorum orgasmum compescere, artus debiles cor-

corroborare, læsos, offensos mulcere, mitigare, laxiores & debito molliores constringere, confortare. Nam uti aqua ventis agitata, nec firmo aggere coercita, facile in continentem terram exundat, eamque suâ mole obruit, quod malum non prius cessat, nisi vel sedatâ ventorum vi, vel aquâ aliorsum derivatâ, vel aggere ejus firmato & reparato; sic fluxiones podagricæ non prius nocere desinent, nisi vel sanguine & lymphâ aliorsum derivata, vel sedato sanguinis effervescentis & commoti quasi æstu, vel firmata & corroborata articulorum compage, ceu tumultuantium humorum firmissimo repagulo.

Est autem curatio podagræ duplex, vel enim in ipso paroxismo, vel extra eum instituitur, & dicitur præservatio. Præservatio iterum duplicem remediorum apparatum desiderat, & dirigenda est, vel contra podagram sanguineam, quam alii calidam, biliosam appellant, vel contra seroſam, pituitosam, & frigidam ab aliis appellatam.

In præservatione podagræ à causa calida, sanguinea, biliosa, statim ipso usu & experientia, sese commendant purgatio, & venæsectio, quicquid hîc dicat quoddam Medicorum certum genus, quod mundo suis frivolis ratiunculis persuadere cupit, hæc remedia magis ad ægrorum perniciem, quàm salutem excogitata fuisse. Verùm ipse usus, optimus Medicorum Magister, hujus sententiæ falsitatem redarguit, simulque istorum hominum audaciam ostendit, qui contra infinita experimenta, contra omnem rationem, contra authoritatem tot millium experientissimorum Medicorum suam tamen erroneam & vanissimam opinionem defendere, atque ea Medicinæ subsidia reprobare conantur, quibus si destituerentur Medici, il non solùm ad morbos debellandos, & ægros curandos prorsus imparati accessuri essent, sed etiam nullus eorum sibi praxin Medicam optaret. Quare neque ego illud remedii genus, quo alii feliciter usi sunt, donec aliud & melius edoctus ero, aversabor. Et

Et primùm purgantia quod concernit, ea in podagra bilioſa ſeu ſanguinea debent eſſe benigna. Nam validioribus, qualia ſunt ſcammoneata &c. corpus agitandũ eſſe, ego non author eſſem, quia viſcera inflammata, alvus ſicca, corpus humoribus acribus refertum, talium vim non ſine maximâ moleſtiâ & noxâ perferrent: nec aloeticorum uſus valde proderit, ſeroſis & pituitoſis convenientior, quàm bilioſis & atrabilariis naturis.

Sufficiat igitur vel ſyrup: roſat. ſolut. ad ℥iiij. datus, vel ſenna, rhabarbarum, addito cremore tartari, manna diſſoluta in aqua cichorii: vel pro purgatione ſæpius reiteranda poſſunt talia in ſero lactis caprini infundi & parùm coqui, ut

℞. *ſenn Abexandr. ſ. ſtip.* ℥j. ℥ij.
mann. Calabrin ℥j.
paſſul. minor. ℥iß.
cremor tartar.
rad. cichor.
fœnic.
petroſ. ā ℥ij.

ſem. anis. ʒi.
inciſa infunde, & coque parùm in ſero lactis caprini libr. iſs. ſtent per noctem, manè de colaturâ per aliquot dies bibatur bonus hauſtus. His addi poſſunt vel herba Thee, vel trifolium fibrinum, chamadris, vel alia ſpecifica. Electuarium d. tamarind. cum fol. ſenn. Horſt, lenitivum Florenzolæ, Caſſia, ſyrup. d. cichorio cum rhabarb. de paſſul. prunis laxat. etiam non inconvenientia ſunt. Hæc licet benigna ſint, in magna tamen doſi & ſæpius repetita, commode ſufficienterque ſeroſam omnem impuritatem (ut inquit Carol. Piſo conſil. d. arthrit. p. m. 388.) ſine ventriculi offenſione, vel viſcerum intemperie eluere poſſunt.

In iis quibus materia peccans ad ſtomachum vergit, vomitus eſt neceſſarius, quo ad præcautionem à podagra nihil conducibilius eſſe Crato, Foreſtus, & omnes prudentes Medici cenſent, quia per hunc materia peccans, in primis viis ſtabulans averruncatur, & humor arthriticus potentius

quàm

quàm per purgantia ab articulis revellitur. Ad hunc finem tartar. emet. gr. ij. vel iij. inſervient.

Multo præſtantius remedium contra podagram nobis ſuggerit fons Chirurgicus, nempe venæſectionem. Hoc auxilium non ſolùm ratio commendat, nam per venæſectionem ſanguis in articulis peccans, iisque incubans ab iis revellitur, ejusque orgasmus comprimitur, ſed etiam experientia & authoritas prudentiſſimorum Medicorum illud ſuadet, inter quos eſt Felix Platerus, Garolus Piſo, qui loco citat. *Certe*, inquit, *audivi magnos Viros ex arthritice rum familiâ nihil longo uſu reperiiſſe, retardandis cohibendisq; fluxionibus arthriticis, ſi non prorſus tollendis aptius ipſa venæſectione, eoque ejus uſum etiam in affecta ætate non reformidaſſe, itaque repetita placet venæſectio, ad providendum, ne ſanguis orgasmo ſpontaneo in vaſis turgeat, & commoveatur.*

Animadverti ſæpe quosdam dolores & tumores calidos repente omnes articu-

los extremorum membrorum invasisse; tanta quidem cum vehementia, ut agri neq; brachia, neque pedes movere possent, quibus symptomatibus febris satis intensa cum vigiliis etiam accessit. Hos verò tumores non ex destillatione capitis ortos esse, ut quidam etiam magni Medici censent, sed â plethorâ in venis magnis collectâ proficisci, ostendit curatio. Etenim venaesectionibus repetitis, & topicis moderate refrigerantibus, ac diaeta refrigerante & tenui eos sustulimus. Ex Jacob. Oethæo Joh. Schenck. libr. v. observ. 123.

Præter hanc venæsectionis utilitatem est etiam alia, quæ ejus usum commendat. Nam ex sanguine per venam incisam educto potest ejus conditio unâ cum morbi progressu cognosci, qui si apparet paucus, impurus, superstantibus multis serositatibus, iisque inspissatis, intemperiem calidam ejus demonstrat. Neque Medicum administratæ venæsectionis tunc pœnitere debet, quamvis videatur malo consilio emissus è venâ sanguis illi ægro, cui

cui vix tantillum in massa sanguinea supereſt. Nam per venæſectionem orgasmus in massa sanguinea, cujus talis sanguinis corruptio index eſt, comprimendus, ejus fervor temperandus eſt, atque ipſemet ſcio, in iſtiusmodi caſu ſummo cum fructu venæſectionem adminiſtratam fuiſſe.]

Uti autem in podagra omnis sanguinis extractio, atque â parte affecta revulſio utilis & neceſſaria eſt, ita etiam ea, quæ fit per hirudines podici applicatas ſalutaris eſt, quas ſuo ſuctu humores in omnes articulos â toto corpore irruentes mire revellere, & ipſos dolores illicò, & tanquam incantamento demulſiſſe, & compeſcuiſſe ex Jacob. Auberto notat Joh. Schenckius libt. v. obſerv. Medic.

Inter medicamenta, quæ ad præcautionem ab arthritide dari & præſcribi ſolent, non pœnitendam operam præſtat lac, cujus uſu conſtat multos podagricos curatos fuiſſe. Habet enim lac virtutem ſpiritus acres contemperandi, ſanguinis præternaturalem

lem efferveſcentiam & cõmotionem ſiſtendi. Atque in hoc Medici imitantur œnopolas, qui, uti etiam notavit Thom. Willis libr. d. ferment. cap. 7. p. m. 42. vinorum nimias efferveſcentias & tumultus, eis lac immiſcendo, ſtatim ſedare ſolent. Sumitur autem illud recens mulctum per 40. dies, addito tantillo ſacchari, rejectis in cibo & potu acidis, ne illud in ſtomacho grumeſcat, & corpus offendat. Incipitur ab ℥v. & aſcenditur ad ℥x. Inter lactis genera omnium eſt ſaluberrimum aſininum, ab eo curatorum exempla legi poſſunt apud Joh. Schenckium, Zacutum Luſitan. & alios. Aſinino in bonitate ſuccedit caprinum, deinde vaccinum. Non verò ſine cautione lactis uſus â Medico ordinari debet, obſervatum enim eſt aliquando nocuiſſe & maximas obſtructiones produxiſſe. Quare illud non eſt dandum iis, qui jam in provecta ætate conſtituti, deſtillationibus ſunt obnoxii, hypochondria elata, obſtructa, murmurantia habent, neque iis, qui-

bus

bus, ut Joh. Fortis loquitur, ſanguis eſt à bile & pituita corruptus, ſeroſus & impurus redditus, quod ſignum eſt morbi jam altè radicati & invaleſcentis. Convenit autem in morbi principio, & ubi ſimplex adeſt lymphæ & ſanguinis ſpirituoſi commotio & effervescentia, absque ulteriore ejus noxa, item (ex præcepto Hippocr. aphor. 64. libr. 5.) tabidis non admodum febricitantibus, & febribus longis & parvis.

Lactis naturalis vicem ſupplent emulſiones arte paratæ. Poſſunt autem parari ex ſem. 4. frigid. major. & aq. cichor. nymphææ, violar. ſyrup. d. pom. borrag. julep. violat. edulcorati, & ſalis nitri tantillo condiri. Exempli gratia

℞. *Semin. melon. mundat.* ℥j.
cucurbit.
angur. mundat. ã. ℥ß.
aq. deſtill. malv. ℥viij.

ſemina contundendo extrahatur l. a. emulſio, cui adde ſyrup. d. pom. ℥iß. *Detur pro duabus vicibus manè & veſperi.*

con-

continuando per tres ſeptimanas. Nam una alterave doſis medicamenti nihil valebit, neceſſe igitur, ut ſæpe ejus uſu repetito morbus obtundatur, & chronicum malum, chronice curetur, quod etiam in aliorum remediorum, ad podagræ præcautionem præſcriptorum, uſu obſervandum eſt. Dictæ emulſiones etiam cum maxima utilitate in ipſis paroxiſmis podagricis exhiberi poſſunt.

Serum lactis caprini, ſive communi modo paratum, ſive deſtillatum, ſuccus betulæ, lac ebuthyratum pro curâ, uti loquuntur, bibitum, multum ad ſanitatem podagricorum contribuunt.

Acidulæ multis podagricis maxime profuerunt, aliis dolores podagricos excitaverunt. Quare eas non ſine ſelectu bibendas vult Joh. Fortis conſil. 69. centur. 4. tom. 1. ubi vir celeberrimus eas, quæ ferro & ſulphure abundant, rejicit, ſaluberrimas autem eſſe judicat eas, quæ ſale, vitriolo & alumine præditæ ſunt. Eæ enim viſcera, renes, mundant, roborant, effervescentiam ſanguinis compeſcunt.

ſpiritus

Spiritus acidos, ut vitrioli, nitri, salis, aluminis, inter remedia antipodagrica abhorrebunt omnes, qui atrocem podagricorum dolorem sali acido adscribunt, ego simpliciter eorum usum nec probo, nec reprobo, quia verò iis in curandâ podagrâ Viri Experientissimi, ut Joh. Fortis, Cnœffelius, Gothofr. Mœbius cum successu usi sunt, quid nos moratur, quo minus & nos iis interdum fidamus, præprimis cum dolorum podagricorum sævitia falsò acori imputetur, & ipse Hippocrat. acetum in podagra, ni corpus ab eo vulneraretur, laudet, è contrario cum potius præternaturalis sanguinis orgasmus & commotio in arthritide peccet, oriens ab acribus & nimis volatilibus spiritibus arteriosis alkalinis, qui â spiritibus acidis volatilibus (uti Clariss. Joh. Dolæus Encyclop. libr. iij. cap. v. de hæmophthis. loquitur) sub jugum mittuntur; unde in effervescentiis & comotionibus febrium & hæmorrhagiarum sistendis, hos spiritus non impotentes esse,

esse, omni tempore experiri licet. Imprimis spiritus aluminis in sanguinis fervore sedando praestans est, atque in mania, phrenitide, febribus continuis curandis, uti insignis Vir, & Medicus celeberrimus Theodor. de Mayerne prax. p. m. 67. notavit, spiritui vitrioli praepollet: nec mirum hunc spiritum servare indolem ejus rei ex quâ elicitus est. Est enim in alumine sal summe stipticum, quod lascivientes spiritus compescit, & quasi ligat, eorumque irregularem motum sistit. Quapropter alumen cerevisiae novellae & fermentescibili infusum ejus fermentationem illico sistit. Similia etiam notantur in spiritu calcis vivae, quem in arthritide tantopere praedicant Frater Basilius Valentinus, & Frideric. Hoffman. Clav. Pharmac. Schroeder. libr. 3. cap. 8. §. 129. Neque ejus vis caustica tanta est, ut eam cum Sennerto timere debeamus, cum etiam Digby exper. Med. decoctum aperitivum ex calce paret, quod intra corpus sumptum, si modo

crassior

crassior pars subsideat innoxium est, plura de calcis vivæ virtute infra dicentur.

Sal nitri præstantissimum est effervescentiæ præternaturalis sufflaminans, & ferocientium spirituum quasi frænum. Sola ventriculi debilitas, & diarrhææ ejus usum nobis interdicunt, hoc si absit, multum debetur medicamento huic in sopiendis podagræ cruciatibus, tàm extra paroxismum præservando, quàm in eo, curando; quantum in podagra valeat, ostendit insignis ejus virtus in atterendo calculo, & tartaro per renes educendo. Venere reprimenda, hæmorthagiis, febribus continuis ardentibus, & aliis morbis, similem cum pogagra cutationem exigentibus, curandis. Confer Bonettum.

Cnœffelii pulvis antipodagricus erat olim cum authore in podagrâ curandâ celebertimus, verùm author hunc sibi inter sua arcana reservavit: ille describitur, quod fuerit admodum ponderosus, coloris obscurè rubescentis, qua-

quales esse solent garyophylli indici recentes, ob vetustatem nondum ad nigredinem vergentes. In pixide servatus quasi ex granulis exiguis instar pulveris minu ioris bombardarii constabat. Saporis erat nullius, habebat saltem in se aliquid stipticum, cum lingua diutius exploraretur. Hunc dederat in liquore, in quo spiritus vitrioli præpollebat, ammixto julepo violarum, ejusque usum per aliquot menses, vel integrum annum præcipiebat. Hæc omnia, quia croco fidereo igne fixato conveniunt, ideo suspicor pulverem Cnœffelii hunc ipsum, vel huic similem fuisse, suspicionem auget, quod crocus fidereus in figendis spiritibus, eorumque ferocia compescenda, hæmorrhagiis reprimendis excellentium sit virium.

Corticis Chin de China grana aliquot quotidie mane & vesperi exhibere jubet Dom. D. Joh. Dolæus Encyclop. d. arthrit. De successu non dubito, habet enim cortex Chin de China stipticum aliquot sal in se, quale etiam

tiam in alumine deprehenditur, quòd ſpiritus commotos (ſine quorum commotione, & perturbatione fluxio podagrica non ad articulos ferri poteſt) figit, & ita ſanguinis effervescentiam ſiſtit, unde etiam hic cortex Peruvianus in cohibendis febrium intermittentium (licet Thomas Willis libr. de febrib, ſe hujus rei cauſam neſcire fateatur) tantarum eſt virium, ut nulli remedio cedat.

Nec conſerva diarrhod. vitriolata, & ſimplex contemnendum eſt remedium, quia ſanguinis fervorem reprimit, viſcera & articulos roborat.

Hæmocolle Crollii non infimum eſt commoti ſanguinis refrænans, & quia in cohibendis hæmorrhagiis tàm potens eſt, illud in podagra, morbo ab iisdem & ſimilibus cauſis pronato, non minora ſpondet.

Acalyphin â quoquam Medicorum ad podagræ curationem commendari non equidem ſcio, niſi externe, ejus tamen virtus anticauſodica, calculum renalem reſolvendi, hæmorrhagias ſiſtendi

ſtendi, multa etiam interne ab hâc exhibitâ nos ſperare jubent in curanda podagra. Nam uti jam dixi, hi omnes affectus ab impetum facientibus ſpiritibus inordinate & irregulariter commotis, & immodice in partem aliquam influentibus, eamque inflammantibus producuntur, & ſimilia auxilia medica ad ſui extirpationem deſiderant. Virtus anticauſodica â doctiſſimo Joh. Langio libr. ij. epiſt. 33. p. m. 640. his verbis perſcribitur: virtus acalyphis adurens ſuperficietenus manet, intus verò tantum frigoris latet, ut ea contuſa arteriis metacarpi ac tempotum applicata, febris fervorem extinguat in corde. Virtutem lithontripticam acalyphis tantam eſſe aſſerunt Digby & alii, ut etiam concretum calculum reſolvere queat. Ejus ſanguinem coagulandi, hæmorrhagias ſiſtendi, virtutem etiam multi Medici agnoverunt, & notat Guilielmus Ballon. libr. ij. hiſtor. ij. in comment. extractum acalyphis ſanguini communicatum ei cruſtam inducere.

Cert-

Ceterum herba vilis, & communis admodum, si qualitates ejus spectes, mereretur, ut diligentius in eas, quàm hactenus factum fuit, inquireretur, multo studiosiores sui Medicos habitura, si ut Coffe, Thee, Soccolata ex India & remotis regionibus ad nos deportaretur; quasi verò natura in communicandis suis beneficiis rebus peregrinis tàm prodiga, nostris verò tàm parca sit. Dum hæc scribo, in cujusdam Anonymi intra citati tractatus medici lectionem incidi, in quo Author p. m. 1018. externè pulmentum ex vitello ovi, croci optimi, camphoræ, & aceti parùm confectum, linteo madido inunctum, & parti podagricæ impositum, interne verò usum aquæ destillatæ acalyphis mane & vesperi ad cochlear unum sumptæ commendat, & hisce duobus remediis dolores podagricos statim fugari asserit.

Hæc sunt ferè remedia, quæ extra paroxismum ad præservationem, nonnulla etiam ad curationem podagræ biliosæ, nam topicorum deinceps mentio

mentio fiet, in usum vocari, & summo cum fructu exhiberi possunt. In paroxismo dolor maxime sæviens Medicum ad sui mitigationem & ablationem convertit, uti ab initio statim se (prætermissâ purgatione, ne humores inde magis agitentur, quod omnes Practici suadent) commendat venæsectio, præstantissimum & præsentaneum atrocissimorum dolorum leniens. Hanc in ipso paroxismo cum summo levamine administratam, non diu est, quod ipse observaverim.

Nec emulsiones modo descriptæ in demulcendis doloribus suo desunt officio, quas Langius, Dolæus & alii commendant, atque eas in humorum acrimonia obtundenda, eorum orgasmo sistendo multum posse, ipse usus docet, & ipse nuper expertus sum.

Asellos seu millepedes, lumbricos, scarabæorum omne genus multi egregii Practici in podagra, præprimis vaga & scorbutica appellata, multis extollunt laudibus, uti ex Schrœderi, Dolæi, Waldschmidt, Digby & aliorum

arum ſcriptis patet, quæ utilia eſſe etiam ipſa experientia teſtatur. Schroderus libr. 2. Pharmac. commendat pro unâ potione ſequens.

℞. *Succ. lumbric. terreſtr.* ʒiij.
tinct. tartar. ℈j.
theriac. elect. ʒj.
aq. cinam. ʒj.
veron. ʒiß.
m. f. potio.

Eſt præſtantiſſimum remedium, quod melius fieret, ſi ex hâc compoſitione theriaca, cui in podagra calida cum Piſone non fido, ejiceretur, & loco ejus ſyrupus emolliens, ut è ſucco violarum d. althæa, d. pomis, ſubſtitueretur. Hæc autem inſecta ideo conferre plerique Medici docent, quia eorum ſal ſalia ſylveſtria in maſſâ ſanguineâ contenta diſcutit, ego verò ſtatuo ſiſtiusmodi res omnes abundare multo ſale nitroſo, quod in ferocientium ſpirituum orgaſmo compeſcendo, ſanguinis & lymphæ acrimonia mitiganda, magnis pollet virtutibus. Hoc non ſolùm exinde demonſtratur,

 quia

quia istiusmodi animalcula degunt in locis nitrosis, verùm etiam quia ceteras cum nitro qualitates communes habent, quales sunt Ictero mederi, urinam ciere, obstructiones reserare, calculum pellere, dolores mitigare, unde etiam anodyni medicamenti vices egregiè sustinent.

Tandem accedunt medicamenta opiata quæ â Medicis in ejulatibus & clamoribus ægrorum, quasi ultima cogente necessitate, ad dolorum levamen in auxilium vocantur, talia sunt laudanum opiatum, theriaca cœlestis, philonium Romanum.

Sed opiatorum medicamentorum nimis rigidi censores esse mihi videntur veteres Medici, & qui illorum authoritati addicti sunt, quod ex Galeni verbis abunde elucet, quando 12. method. 1. ait, se omnium maximè abusu graviter sopientium abhorrere, & non nisi in colica vehementissima ea exhibere; rationem reddit 2. ad Glaucum 6. *quia opiata dolores sedant, dispositionem autem non sanant.* Unde Joh. Fortis

Fortis centur. 2. consult. 92. tom. 1. curationem per opiata coactam & irregularem appellat. Verùm inanem de hoc remedio metum minuunt Medici recentiores, Felix Platerus, Gregor. Horstius, Mayerne, de le Boe Sylvius, & alii non incelebres Viri, inter quos modo laudatus Platerus de curat. habit. corpor. dolor. inquit: *ab opiatis non tantum esse periculi, ut creditur, quin potius multum utilitatis in dolore podagrico compescendo, & affluxu novo præcavendo*; cui & ego meum calculum addo. Nam si omnis curatio per opiata est empirica, infidelis, si ea in morbis solum dolorem sedant, dispositionem autem non sanant, cur tot millia ægrotantium per opiata tàm cito, tàm tuto curantur? immo quia curantur, curatio per opiata, si cum cautela instituatur, non est infidelis & empirica, sed fidelis & dogmatica, quæque non solum dolorem compescit, sed etiam ipsam dispositionem & causam morbi tollit, idque multi celeberrimi Medici nostra ætate ipsa re

experti ſunt. Diſpoſitionem autem, ſeu ipſam morbi cauſam tollere opiata, probant omnes morbi â partium ſolidarum læſione oriundi, dum opium virtute ſuâ anodynâ offenſam earum tollit, vel, ut cum Helmontio dicam, Archæum irritatum placat, ut quaſi obliviſcatur injuriæ ſibi â rebus cõtrariis illatæ, quo placato etiam humores ad partem læſam accurrentes fluere deſinunt, probant itidem omnes morbi, qui ab immodica & irregulari agitatione ſpirituum & humorum potiſſimum dependent, in quorum curatione ad uſum & exhibitionem opii furentes ſpiritus & humores non aliter ac ad aſpectum capitis Meduſæi ſiſtuntur, & quaſi obſtupeſcunt, quæ verò curatio non fucata, infidelis & coacta, ſed vera & ab ipſâ morbi cauſa indicata eſt, inter quos affectus etiam numeranda eſt podagra, in quâ ferocientium ſpirituum cõmotionem, archæum articulorum irritatum excedere, non ſemel dixi, atque ita eſſe nemo eſt, qui non facile animadvertere poſſit:

possit: quia verò in effervescentia nimia compescenda, spiritibus immodice commotis sistendis, archæo irritato partium placando, semper se potentissimum gessit opium, ideo etiam nos hunc Herculem Lernæ nostræ podagricæ, si res id exigat, opponere non dubitabimus, eoque minus hoc auxilium repudiabimus, quo magis in hæmorrhagiis sistendis summo cum fructu, & absque periculo ad compescendos spiritus nimium commotos utimur opiatis, & quia arthriticus & colicus dolor, ad quem sopiendum ipse Galenus opio usus est, sæpissime ab una eademque causa, (prout nempe fluxio modo ad articulos, modo ad intestinum colon fertur) proficiscitur, ut tàm contra illum, quàm contra hunc opium exhibitum prodesse possit.

Verùm quia non præter rem nostram est in opii temperamentum inquirere, liceat parumper nobis digressum facere.

Hic iterum recentiores sese opponunt

nunt antiquitati, & ab eâ in diversa abeunt: hæc enim opium frigidissimum esse credidit, illi è contrario pro caliditate hujus remedii variis rationibus pugnant, cui sententiæ etiam ipse aliquando addictus fui. Dicunt enim opium esse inflammabile, acre, exulcerans, amarum, nodos & tophos resolvere, sudorem movere, animositatem conciliare, atque hæc omnia nil nisi effectum calidi remedii esse. Hæ quidem rationes ad speciem validæ sunt, re ipsa verò parùm probant. Quid enim inflammabilitas rei pro caliditate ejus probare potest, cum sint tot inflammabilia, quæ tamen omnium consensu frigida sunt? si exemplum petitur, sit lignum santali, salicis. Acida sunt acria, corrodentia, exulcerantia, ea tamen ab omnibus Medicis ad æstum febrilem sedandum præscribi solent. Radix cichorii amara est, & tamen inter frigida refertur. Lac asininum ad nodos & tophos podagricorum dissolvendos à Galeno, Ætio, Forti consult. 73, centur. 4. tom. 1. p. m. 455.

m. 455. commendatur, cui tamen nihil calidi ineſt, & quia concretio tophorum podagricorum â cauſa acri, & calida eſt, atque ideo eorum reſolutio per remedia frigida, non verò calida tentanda eſt, tunc illa virtus tophorum reſolutiva, quam opio ineſſe dicunt, illud frigidum, non calidum eſſe demonſtrabit. Nec virtus opii diaphoretica illud calidum eſſe evincet: nec eſt neceſſe, remedium aliquod eſſe calidum, ſi ſudorem movere debet. Nam ſomnus quid eſt aliud *frigida niſi mortis imago*? & tamen is omnes excretiones ſiſtit, ſolam verò diaphoriſin promovet, antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale, cinnabaris nativa, terra ſigillata, bolus armena, cornu C. uſtum & philoſophice præparatum, ſunt, nullo refragante, remedia diaphoretica, & tamen ſunt omnis caliditatis, acrimoniæ, & volatilitatis expertia. Si jam quæratur, ſi non ſunt calida, atque nullam humores incidendi & attenuandi vim habent, quomodo ergo virtutem ſu-

am diaphoreticam exserant, ego dico in morbis, & præprimis in febribus, duplicem potissimùm sanguinis statum spectari. Nam cum natura mediante quadam effervescentia febrili id, quod sibi adversum est, expellere soleat, quandoque fit, ut illa effervescentia vitalis in corde â causa morbifica ita oppressa sit, ut non sit satis valida ad humorem peccantem è corpore eliminandum & expurgandum, quod quàm maximè in morbis venenatis & febribus malignis accidit, atque ex pulsu parvo, prostratis viribus facile cognosci potest. In hoc casu Medico omnibus viribus annitendum est, ut effervescentiam illam sanguinis nimis languidam, datis cardiacis & diaphoreticis, calidioribus excusciet, qualia sunt, theriaca Andromachi, rob sambuci, juniperi, aquæ camphoratæ, tincturæ bezoarticæ, spiritus & salia volatilia urinosa, aromatica &c. Quandoque verò contrarium accidit, ut nempe illa effervescentia febrilis sit nimia, atque propter magnitu-

gnitudinem febris, æstum & tumultuantem intus sanguinem materia morbifica non expelli, & ad peripheriam corporis produci queat, non secus ac magna hominum & animalium caterva, dum omnes unâ per portam aliquam erumpere contendunt, ita inter eam conglomerantur, ut unus alterum in exeundo impediat. Hîc non expedit, per cardiaca, diaphoretica volatilia, spiritus jam tùm nimis commotos ulterius incitare, atque orgasmum sanguinis augere, sed præstat ea, quæ spiritus irritatos compescendi, & nimium commotos sistendi vim habent, exhibere, qualia sunt supra dicta diaphoretica fixa. Nam pacatâ quodammodo nimis turbulentâ effervescentiâ, natura expeditius deinde morbosum quod est expellit; hac ratione sæpius venæsectio sudoris, petechiarum, variolarum eruptionem promovit, uti etiam spiritus acidos, tinctura rosarum, sudores movisse comperi. Si ex scholis distinctionem petere licet, dicimus prioris classis diapho-

retica per se talia esse, posterioris per accidens.

An opium in Turcarum Maslach animositatem conciliet nec negare, nec affirmare ausim; illud interim certum est, in nostris regionibus opium talem effectum non edere, sed potius contrarium; ut nec illud pro caliditate opii citari possit.

Verior igitur est sententia antiquitatis opium frigidum esse statuentis, quia opium spiritus figit, eorum effervescentiam compescit, sanguinem coagulat. In indagandis enim remediorum qualitatibus & temperamentis imprimis attendendum esse judico, qualem effectum illa intra corpus sumpta in sanguinem exserant, an nempe eum rarefaciant, an coagulent, an spiritus commoveant, an sistant, quia tum calor naturalis & præternaturalis, tum frigoris excessus unice dependet ab illa effervescentia vitali in corde diversimodè affecta: quod nullibi melius, quàm in paroxismis febrium intermittentium tertianarum con-

spici

ſpici poteſt, ubi in primo febris inſultu â cruditatibus ſeroſis & bilioſis ſpiritus vitales, arterioſi obruuntur, uti ex ſanguine tunc temporis emiſſo crudo & admodum ſeroſo (obſervante id ipſum Guilelmo Harvæo libr. de generat. anim. exercit. 52. p. m. 215.) apparet, Unde illa effervescentia vitalis una cum calore tunc fere deficere & ſuffocari videtur, & quia partes nervoſæ caloris blandi vitalis fotu deſtituuntur, moleſtus frigoris & rigoris ſenſus eas exercere ſolet. Poſtquam verò ſpiritus vitales primum hoſtilis humoris impetum ſeluctati ſunt, & ſuas vires recollegerunt, tunc irritati, & quaſi in vindictam accenſi æſtuare & effervescere incipiunt

— — ceu parvæ aſpergine lymphæ
Grandior exſurgit, læſusque ira ſcitur ignis.

Unde rigorem calor præternaturalis excipit, atque ægrotus non minus ſub æſtu, quàm ante ſub frigore vapulat: uſque dum diſcuſſâ materiâ morbificâ ſanguis defervescit, ad ſuum natu-

ralem ſtatum redit, atque ſimul etiam omnia ſymptomata remittere ſolent, quæ â morbo datæ induciæ non diutius durant, quàm usque dum nova materiæ morbificæ collectio novi paroxiſmi cauſa exiſtit.

Quapropter remedia, ut & omnia reliqua, ſi naturalem illum ſanguinis motum ulterius concitare & intendere valent, calida, ſin verò eum ſufflaminabunt & ſiſtent, quale eſt opium, frigida pronuncianda eſſe ſtatuo.

Verùm ut iterum in viam, unde digreſſus ſum, redeam, dico opium in arthritide tutò exhiberi poſſe, non tamen ſine diligenti circumſpectione id faciendum eſſe, quia violentius paulò quod ſuum eſt agit, & non niſi viribus conſtantibus, & expurgata prius, ſi quæ adeſt, materia morbifica.

Opiatis Joſephus Quercetanus, Medicus & Chymicus experientiſſimus, ſuum ſubſtituit nepentes: illud ſive internè aſſumptum, ſive externè applicatum, ſubito, & quaſi incantamento quodam ad miraculum usque

tùm ægri, tùm affantium dolorem ſedare, atque ex vitriolo, quod ſulphur verè narcoticum & tale, quod corporeas materias diſſolvere, & ſpirituales coagulare poſſit, non vero frigidum & ſtupefactivum in ſe contineat, parari aſſeverat. Confectionem Nepenthes Quercetani Mayerne Medicus Angliæ celeberrimus prax. cap. d. epilepſ. p. m. 18. ſequentem dat. Rec. limat chalyb. puriſſ. part. 1. vitriol ungar. part. 2. pulveriſata phialæ indantur, affunde acetum deſtillatum ad ſupereminentiam digiti & ſemis, digere moderate per 12. dies, deſtilla per gradus in arena, donec vitriolum ad rubedinem ſit calcinatum. Huic pulveri adde aceti deſtillati q. ſ. ut ſupernatet 4. digitos, digere in balneo per 5. 6. horas ad tincturæ extractionem, acetum decanta & novum affunde, digere iterum, ſicque porro, quamdiu præbebit tincturam, liquor tinctus filtretur, per alembicum evocetur diſſolvens (ad eundem uſum aſſervandum) ad mellaginem uſque. cui inſtil-

la

la guttatim oleum tartari, unde præcipitatur pulvis, liquorem decanta, residentiam ablue aq. communi destill. ad dulcedinem, sicca, & usui serva sub nomine vitrioli fixi anodyni. Hoc medicamentum eas obtinere vires, quas ei suus author attribuit, eo pronior sum ut credam, quia in Marte & vitriolo inest sal quoddam, ut ita loquar, fixativum, quod spiritus arteriosos tumultuantes, effervescentes, & unâ cum sero ad articulos impetu delatos eosque inflammantes, dolores implacabiles in iis excitantes domat, & quasi ligat, eorum fervorem, quod etiam de alumine prius dixi, compescit, eosque iterum in ordinem & regularem motum cogit. Externè verò applicatum præterquam quod etiam hoc modo particulas suas fixativas sanguini communicet, etiam virtute suâ constrictiva partes deboles roborat, earundem tonum relaxatum iterum intendit, spiritus & sanguinem unâ cum sero ad artus delatos constrictis eorum porulis repellit, eosq; vim

parti

parti affectæ inferentes in suos alveolos retrocedere cogit, non secus ac aqua in spongiâ contenta per compressionem â manu factam ex eâ exprimi solet. Neque timendum est, ne humor noxius ad articulos (nisi forte in malo inveterato) deferri consuetus per hoc medicamentum, & alia istiusmodi intus detineatur, ac ad interna viscera repellatur, quia ea hypothesis, quæ statuit serosorum per cetta intervalla in corpore nostro coacervatorum copiam, vel sal aliquod acre, acetosum, vel tartarum volatilem, vel aliud quicquam noxium in victu sanguini impertitum causam podagræ immediatam, falsissimum esse jam ostendi, cum soli spiritus arterioli irregulariter commoti, effervescentes, & unâ cum sero in partes læsas perlati, easque copia & acrimonia sua gravantes vellicantes, distendentes ad tantorum dolorum productionem, ut alia comminisci non sit necesse, sufficiant. Interim admiror Quercetanum in suo consil. d. arthrit. hoc suum nepenthes calidum

statu-

statuere, vulgare verò illud laudamus frigidum, cum amborum medicamentorum virtus sit spirituum fixativa, propter quam etiam utrumque frigidi remedii nomen meretur.

Inter remedia anodyna podagræ nec aquæ Selenites obliviscar, quam multiplici experientia constat effervescentiam sanguinis immodicam stitisse, humorum acrimoniam mitigasse, dolores sedasse, & suavem somnum induxisse. Quapropter prudenter faciunt, qui in doloribus & pervigiliis hanc aquam, præprimis syrupo papaveris simplicis associatam, quod sæpius cum successu feci, laudano substituunt, est enim tecurissimum remedium, nisi quod ab usu hujus aquæ nonnunquam languorem membris fuisse inductum experientia didicerim. Sit igitur excellens cephalicum in iis morbis, ubi arx Minervæ (cerebrum) à nimia spirituum copia vel impetitur, vel obsidetur, ut in melancholiis, maniis, pervigiliis, aut ubi facultas animalis jam antea torpet, vel cerebrum pituito-

tuitosis humoribus est oppletum, & quædam adest inclinatio ad somnolentiam, apoplexiam, tunc usum semiopiati hujus medicamenti non suaderem.

In diaphoreticorum medicamentorum usu ad expugnandam podagram multi sibi magna promittunt. Verum diaphoretica si calida, mihi cum Carolo Pisone, Dolæo, & aliis in podagra sanguinea & biliosa, præprimis in paroxismo non probantur, qualia sunt theriaca, bezoardicum animale, mixturæ prophylacticæ, tincturæ bezoarticæ, decoctum lign. guajac. rad. chin. sassafr. &c. Hæc enim omnia sanguinem jam nimis fermentescibilem ulterius commovent, & ad fluxionem podagricam incitant. Nec salibus volatilibus urinosis, quibus nonnulli acidum peregrinum, hostile corrigere & destruere tentant, fido, quia falsum est acidum doloris podagrici causam esse. Porro hæc salia spiritus sanguinis jam antea nimis volatiles, & ad effervescendum pronos

nos

nos magis in motus irregulares ſtimulabunt, qui cum ſint alkalinæ naturæ, potius per acida volatilia compeſcendi, quàm per ſalia ſui generis ulterius efferandi eſſent. Unde enim illa hæmorrhagias & hæmophthiſin cauſandi vis, quam in ſalibus hiſce obſervavit & notavit Frider. Hoffmann. Clav. Schrœder ſect. 1. libr. 5. p. m. 668. præficiſcitur, niſi quia ab horum ſalium uſu dominium ſpirituum arteriosorum non parùm augetur, â quorum impetu deinde oſcula vaſorum reſerantur, & ipſe ſanguis è venis profunditur. Quapropter, ſi fermentum cordis vitale languidum eſt, illud datis ſalibus volatilibus excitari poſſe credo, at verò ubi illud nimis acre eſt, & ubi ſanguis vehementius, quàm par eſt, commovetur, ut in podagrâ fit, tunc illam commotionem per illa remedia compeſcere, idem eſt, ac flammam oleo extingere velle.

Quare contenti erimus diaphoretiis fixioribus & temperatioribus, ut C. C. philoſophice calcinato, uſto, antimo-

timonio diaphoretico, bezoartico minerali, cinnabari nativa, & factitia antimonii, cui Dn. Joh. Dolæus virtutem furibundum ſpirituum motum coercendi rectiſſime aſcribit cap. d. febr. tertian. lapide bezoar, & aliis, quæ virtute ſuâ confortante naturam quaſi ſub onere laborantem expediunt, vel Archæum partium (ut clariſſ. Frider. Hoffmann. libr. 3. cap. 17. Clav. Pharmac. Schrœder. loquitur) ſedando, tonum viſcerum & articulorum roborando, ſpiritus furentes, tumultuantes figendo, opus ſuum perficiunt, & diaphoreſin excitant. Unde non minus recte, quàm perite Zwelfferus, quo antimonium ſuum efficacius redderet, illi per reperitam calcinationem fixitatem & aſtrictionem majorem conciliare ſtudebat, & licet vis potius aperitiva quàm aſtrictiva in antimonio quæratur, atque illa per hanc impediri videatur, tantùm tamen abeſt, ut per iſtiusmodi antimonii diaphoretici elaborationem virtuti ejus diaphoreticæ aliquid

quid

quid decedat, ut potius omni modo intendatur, & præstantior evadat. Non secus ac virtus constrictiva & aperitiva, simul in martialibus, ut aliorum quamplurimorum, ut C. C. usti (quod tamen, ut effoetum, sed male rejicit idem Zwelfferus, confer. Frider. Hoffmañ. Clav. Schrœder. Pharmac.) jam non recorder, conspicitur. Quomodo autem hoc fiat modo diximus, & pro nobis respondet Carolus Piso consil. de arthrit. in quo vinum aqua chalybeata, vel potius inaurată seu ferrată tantopere â Clariss. Alexandro Petronio in splenicis affectibus commendata, pro potu ordinario podagricorum diluere jubet. Hanc enim stringere, & quodammodo exprimere superfluum in vasis seeum, expressumque in renes deducere. Est igitur antimonium diaphoreticum, C. C. ustum, cinnabaris, & alia, diaphoreticum, diureticum, aperitivum in respectu ad humores, confortativum, constrictivum in respectu ad viscera & partes solidas, quorum fibrillas remis-

sas,

ſas, relaxatas, & ad expellendum ſignes, dum intendunt, confortant, ſimul etiam urinæ, ſudoris expulſio, quæ harum intentione & conſtrictione perficitur, promovetur.

Quare ℞. *antimon. diaphoret. ex Regul.* (quod etiam â Mayerne laudatur)
probe câlcinat. ℈j.
cinnab. nativ. vel factit.
gr viij.
nitr. perlat. gr. iij.
aq. hord. ℥iiß.
ſyrup. è ſucc. rub. Idæi ℥j.
m. f. potio ſæpius reiteranda.

Pro potu limaturâ corn. c. podagricis nihil convenientius eſſe aſſerit Crato epiſt. 150. convenit etiam raſura eboris, cui, ut gratius evadat, ſyrup. rub. Idæi, vel ribium, berberum, ceraſorum acidorum, vel, ut potentius reddatur, ſalis nitri aliquid, immixtum ſit. Vel, ut Platerus vult, aqua chalybeata, cui ſyrupus quidam acidus ſit ammixtus, idque pro podagricis febricitantibus & incaleſcentibus, qui verò non febricitant, aquam bibant,

bibant, cui ſemen coriandri ſicci ſit incoctum, & ſyrupus vel hydromel permixtum. Nec tinctura roſarum reprobanda eſt, præprimis ſi cum aqua ferrata, vel aqua aliqua deſtill. ut nymphææ, plantaginis fuerit extracta. Vel paretur ptiſana magiſtralis ex hordeo mundo, liquiritia, paſſulis, ficubus, ſem. fœniculi. Decoctum cicerum rubrorum etiam cõmendari meretur.

℞. *ficuum ping. nom. x.*
lent. excortic.
cicer. rubror. ā. ℥ß.
tragacanth. ℥ij.
ſem. fœnic. ℥ß.
coq. in libr. iij. *aq. fontan. ad tertiæ partis conſumptionem.*

Hæc & iſtiusmodi in & extra paroxiſmum bibita conveniunt, cavendo, ne cinamomum, vel aliud aroma addatur, â quibus ſanguinis orgaſmum concitari, vel hæmorrhagiæ ab eorum uſu excitatæ (confer Carolum Piſon. conſil. de arthrit.) probant. Extra paroxiſmum vinum aquâ chalybeatâ mixtum jam laudavi.

A poda-

A podagra lymphatica seu serosa, & à causa frigida, multos vendicarunt purgationes. In nostris officinis prostant pilul. arthrit. Argentoratenses quæ constant ex

aloe rosat.
trochisc. alhandal.
diagryd. ā. ʒß.
extr. lign. aloes ℈ij. *gr.* viij,
cum aq. rosarum formetur massa pilularis. dos. ℈j. *vel* ℈iß.

Inter purgantia radic. hermodactyli specifica virtute humores serosos ab articulis & juncturis attrahere crediderunt antiqui, quæ basis sunt celebris electuarii Cariocostini officinarum, cujus author Bayrus. Dosis ʒij. vel ʒß. ter & quater in anno. Illud electuarium à multis Medicis laudatur.

Joh. Fortis consil. 73. centur. 4. tom. 1. se multos à podagra præservasse asserit sequente remedio

℞. *rad. chin. optim.* ʒiij.
lentisc. è Chio. ʒij.
rad. garyophill. ʒj.

bacear,

baccar. juniper. man. ℥.
hermodact. ʒiij.
fol. recent. senn. Alex. ʒv.
polypod. ʒij,
turpet. elect.
agar. ã. ʒij.
cinam. integr. ʒß.

in vini pro mensa usu consueti situla fiat infusio ut sufficiat pro 40. diebus. Dosis mane & sero cyathus unus, incipiendo die 1. Martii, & die 1. Septembris.

Non minore cum successu decocta diaphoretica pro præservatione â podagra â multis fuerunt exhibita, quæ parantur ex hagioxylo, sassafras, rad. chinæ elect. sarsaparill. cum passulis, hordeo, &c. infundendo ea in aq. communi, & prout moris est, coquendo ad tertias, vel ad medietatem, bibendo & sudando inde per 40. dies.

Hunc modùm curandi podagram laudant multi Excellentissimi Medici, interque eos Joh. Fortis, qui se ipsum, & alios multos hoc modo â podagra liberavit, Adrianus Mynsichtus, Joh. Dòlæus & alii. Habent enim talia de-

coct.

cocta non solùm virtutem laticem seu lympham, quæ fluxionum materia est, attenuandi, incidendi, & per sudores educendi, verùm etiam viscera & articulos corroborandi. Unde in curandis affectibus arthriticis hujusmodi decoctis quandoque tantum fuit effectum, ut quævis alia medicamenta etiam chymicâ arte parata non solùm æquaverint, sed etiam superaverint. Cautus tamen sit, oportet, Medicus in exhibendis eis. Nam hypochondria obstructa, ferventia, temperamentum plethoricum, bilioſum, alvus ſicca, non ferunt hunc curandi modum. Nec quem decipiat ſanguis è vena eductus impurus, ſeroſus, ut credat, ſeroſitates ſuperfluas per hæc hydrotica exhauſtum iri. Eſt enim talis ſanguis fervidioris conſtitutionis index, & potius admonet ab his remediis planè abſtinendum, quàm ea in uſum vocanda eſſe.

Pro potu vinum Neccarinum, tenue decocto ligni ſaſſafras dilutum bibi convenit, vel decoctum ſem. coriandri ſicci cum hydromelite.

Digitized by Google

Hiſce interne tàm in podagra ſanguinea, quàm ſeroſa extra paroxiſmum, & in eo ordinatis remediis, nec topicorum mentio omittenda eſt, licet Michael Döringius, Piſo, & ſi qui alii cum iis faciunt, eorum nullam rationem habendam eſſe dicant, uti patet ex epiſtola quadam Gregor. Horſtii libr. 3. part. 2. de dolor. part. extern. p. m. 262. ad dictum Döringium perſcripta, in quâ Horſtius aliquot, interque eos Scheurlinum Medicum Ulmenſem, lotione pedum ex lixivio ſale ſufficienter condito conſtante, à dolore podagrico diutiſſimè podagricos præſervaſſe refert. Verùm reſpondet Döringius Horſtio, ſe in podagra curanda de topicis non multum laborare. *Perſto enim*, inquit, *in ea cum Carolo Piſone hæreſi, dummodo hæreſeos nomine iſta opinio digna ſit, præter meritum in affectibus ex humorum tranſmiſſione natis, articulos culpari, quaſi ob laxitatem & cavitates humores alibunde dejectos prompte admittant. Fruſtra igitur de articulorum corroboratione cura*

ſuſci-

ſuſcipitur &c. Lotione ergo pedum, quâ Scheurlinus incipientes podagricos ab ulteriore invaſione præſervaſſe dicitur, parum tribuendum eſſe contendo: hæc Döringius. Ego verò potius contendo, & dico, quia non ſolùm Scheurlinus, ſed & alii quamplurimi Medici cum ſucceſſu in curatione & præſervatione â podagrâ topicis remediis uſi ſunt, Piſonis & Döringii rationibus parûm tribuendum eſſe, Medico verè dogmatico ſemper â parte experientiæ, cui nunquam obloqui debeat, ſtandum eſſe, & quia multi podagrici per topica fuerunt curati, illud probare, imbecillitatem, læſionem, & laxitatem articulorum tantum ad podagræ generationem conferre, uti ſine ea vix podagra progigni poſſit. Et ſi in omnibus aliis fluxionibus, ut diarrhæa, catarrhis &c. tonus viſcerum & partium ſolidarum læſus horum morborum cauſa eſſe poteſt, & in iis curandis non ſolùm humorum evacuationi, revulſioni, correctioni, per purgantia, venæſectiones, diuretica, diapho-

diaphoretica &c, ſtudemus, ſed etiam dictarum partium corroborationi per remedia ſpecifica & topica appropriata proſpicimus, neq; in fluxionibus arthriticis, rem tàm utilem, tàm neceſſariam omittendam eſſe. Reliquas rationes jam ante allatas non repetam, ne crambem bis coctam apponam.

Cum igitur topicorum in curanda arthritide tanta utilitas ſit obſervata, ut quandoque ſine ſuccurſu aliorum remediorum malum hoc ſuſtulerint, & Fabricius Hildanus ſenex podagricus non ſine ratione doluerit, quod remedia topica in morbi principio durante paroxiſmo neglexerit, ex eo colligo, articulorum robur læſum, infractum, reſolutum, nonnunquam primariam hujus morbi, humores verò in eos impetum facientes, & ſive copia diſtendendo, ſive acrimonia vellicando, acerrimos in iis dolores parientes, ſecundariam cauſam eſſe: quapropter iis non ſolùm in paroxiſmo ad curationem, ſed etiam extra paroxiſmum ad præſervationem utendum eſſe

esse author sum. Quia autem thermæ in articulorum corroboratione aliorum remediorum topicorum efficaciam facile superant, ideo considerationi eorum meritò primus locus debetur. His infiniti podagrici summo cum fructu usi sunt, atque ad has tanquam ad sacram anchoram, frustra tentatis aliis remediis, ut etiam Dolæus notavit, confugiunt. Constant enim thermæ utplurimum ex lapide calcario. Nam ignes subterranei, quales dari experientia loquitur, in lapidem calcarium agunt, eumque calcinant, quibus calcinatis dum aqua fontana affluit, fervor atque ebullitio (ceu quoque in calce viva, aqua communi ei affusa fervorem excitari videmus) exoritur, atque aquæ fervidissimæ scaturigo exsurgit, quæ deinde in transitu etiam alias metallicas & minerales particulas secum rapit, earumque virtute imbuitur. Atque hunc esse potissimum thermarum originem ostendunt crustæ albicantes thermarum alvcolis adhærentes, &

extinctam calcem referentes, quales ipse vidi, probat etiam thermarum in roborandis articulis, morbisque multis externis extirpandis virtus & efficacia. Ineſt enim calci vivæ, uti Frider. Hoffmann. Pharmac. Schroeder. "notat, ſtupenda virtus in ulceribus "corroſivis, Venereis antiquis, corro- "dentibus ſanandis, dum exſiccat, ſa- "nando carne replet, inflammatio- "nem arcet, ſalia ſylveſtria, à quibus "calor, extrahit, dolorem ſedat, gan- "grenæ reſiſtit, eamque mirabiliter ex- "tinguit, guttam roſaceam, ſcabiem curat &c. quas omnes virtutes in lixivio calcis vivæ ita dicto exinde provenire ſtatuo, quia lapis calcarius gaudet aſtringentiſſimis particulis, cujus aſtringens qualitas calcinatione, uti etiam in aliis calcinatione præparatis remediis fieri ſolet, multum augetur, quæ apta eſt, ut ſpiritus volatiles ſanguinis figat, nimium commotos ſiſtat, tonum articulorum & partium læſarum roboret, fibrillas earum contrahat, atque contrahendo ſpiritus ſanguinis

guinis arterioſos luxuriantes, majore quam par eſt, copia ad partes læſas, relaxatas perlatos, ibique inflammationes & dolores arthriticos excitantes repellat, eosque, uti etiam de alumine, vitriolo, notavi, iterum ſuis alveolis reſtituat, & ita incommodum hoſpitem, & vim partibus inferentem excludat. Neque ſapor ſtipticus guſtu in lixivio calcis vivæ ejusque ſpiritu deprehenſus, neque mechanica, quâ calce vivâ ad ædes extruendas, ut ejus interlitu lapides invicem cohæreant, utimur, nos de virtute ejus aſtringente dubitare ſinit. Nec obſtat ex calce vivâ à Digby & aliis decoctum parari, quod ad obſtructiones reſerandas potentiſſimum eſt, quia hujus rei nulla alia cauſa eſt, quàm quod aſtringentiſſimæ calcis vivæ particulæ fibrillas nervoſas vaſorum meſaraicorum, quorum relaxatione nonunquam humor intus detinetur, & ſtagnat, contrahunt, quibus contractis latex ſeroſus è venis, non ſecus ac aqua ex ſpongiâ manu compreſſâ exprimi ſolet,

propellitur. Quare quod Mayerne libr. 2. cap. 4. prax. de hæmophthis. de chalybeatis medicamentis dixit, id ego etiam de calce viva dicere possum, in ea æqualiter (mirum dictu) triumphare virtutem astringentem, & aperientem, quæ adversis frontibus inter se pugnare videntur. Exemplum fluxus sanguinei in hæmoptoico ex pulmone erumpentis, & per vaporem ex aceto calci vivæ affuso excitatum, & ore exceptum, cohibiti, legi potest apud eundem loc. cit.

Sine causa igitur quidam metuunt, articulos ab usu thermarum, & aquarum medicatarum non corroborari, sed relaxari, emolliri, & receptioni humorum aptiores reddi, quod uti de aquæ simplicis balneo & lavacro verum est, ita de aquis medicatis nunquam. Sunt tamen multi podagrici, qui ab usu thermarum pejus se habent, ratio est, quia sanguis atrabilaris, vel acrimonia scorbutica inquinatus, nec non phlogosis & obstructio hypochondriorum externum calorem

ther-

thermarum non tolerare poteſt, & quia hypochondriacis naturis iſtiusmodi exſiccantia non conveniunt; ita ut, quod ratione corroborandorum articulorum inſigniter juvaret, id propter alias rationes omittendum ſit.

Triplex autem uſus eſt potiſſimum thermarum & aquarum medicatarum; vel enim in iis fiunt inſeſſus, vel ex ab ægrotis interne aſſumuntur, & bibuntur, vel earum luta membris affectis externè applicantur. Laudantur autem à Joh. Forti conſil. 66. centur. 4. tom. 1. luta thermalia aluminoſa, nitroſa, ferrea, rejectis ſulphureis, quia facultatem reſolvendi & emolliendi, non verò corroborandi habent, quæ per 15. dies imponenda eſſe, reliquo verò tempore artus oleo ex favo mellis deſtill. cum ſpiritu ſalis illinere jubet.

In defectu thermarum Riverius fotum decocto balauſtii, myrtillor. nuc. cupreſſ. aluminis, ſalis, in aqua ferrata, & vino rubro coctis præſcribit.

Inter alia topica antipodagrica mi-

hi placet illud Joſephi Quercetani conſil. de arthrit. quod remedium ad ſedandos dolores nulli alii cedere ſe multijuga experientia compertum habere dicit. ℞. *Calcem vivam, eamq; per ſex dies in aquam fontanam immerge, in hujus aquæ libr. 4. laminam chalybis ferventis duodecies, aut ſæpius, extingue, in qua deinde æris uſti pulveriſ. ℥iiij. cinnab. ʒß. per 4. aut 5. dies ad viridis coloris extractionem infunde.* In hac aqua omnia, ex quibus conſtat, ad articulorum corroborationem, ſpirituum fixationem, uti ex iis, quæ jam de vitriolo, Marte, calce viva dicta ſunt, patet, conſpirant.

Expertiſſimum eſt etiam ſequens, ℞. *lapid. medicament. Croll.* ℥ß.
diſſolve in menſur. 1. calcis vivæ, adde
ciner. æris ʒiß.
ſperniol. Croll. ziß.
fiat applicatio cum ſpongiis magnis in aqua dicta tepida immerſis; his ſi quis adjicere velit crocum metallorum, non imperite faciet.

Ad eundem finem collimat etiam aqua

aqua antipodagrica Minſichti, in ſuo armament. Pharmac. deſcripta, item Friderici Hoffmanni Theſaur. Pharmac. ſect. 2. §. 14. quæ conſtat ex ſalis, vitrioli, aluminis libr. 1. diſſolutis in aq. ſpermat. ranarum. canthar. v. coctis, filtratis & partibus dolentibus illitis.

Bonettus vitriolum album & viride, calcem vivam in urina extractam, tranſcolatam pro fotu partis laudat, quæ inter reſolventia remedia ponit, ego verò, eo, uti dixi, modo ſuam operationem perficere ea remedia credo, quis enim in rebus aſtringentiſſimis reſolventem virtutem inquirat?

Joh. Fortis paſſim in ſuis conſiliis, ut & conſult. 57. centur. 4. tom. alter. articulos quotidie manu ſpiritu ſalis madefacta, idque toto anni tempore fricandos eſſe jubet, hancque ſpiritum ut tutiſſimum articulorum corroborans deprædicat. Cnœffelius aqua ſua antipodagrica, in qua ſpiritus vitrioli præpollet, partes affectas tamdiu illinere jubet, donec dolor diſpareat.

Vinacea Prævotius medic. pauper. Crato & Hollerius summis extollunt laudibus, si in ea recentia membra podagrica immergantur. Hollerii verba Gallico idiomate conscripta hæc sunt, Je l' ay pratique cent foy, il n' arien mellieur sous la chappe du ciel : ego centies expertus sum esse nihil melius vinaceis sub cœlo. Constant enim vinacea ex acido astringente & corroborante, verùm remedium non semper ad manus est, & solummodo tempore vindemiarum ejus copia datur.

Quosdam & ipsum Imperatorem Mathiam per cataplasma ex melle rosaceo, aceto, & lapide bezoar confectum, alios per lixivium (si ex cinere ligni quercus conficitur, eo melius est) sale conditum ab insultibus podagricis præservatos fuisse notat Gregor. Horstius, idque alios etiam imitatos esse cum successu accepi : certum enim est sali communi summam inesse vim antipodagricam, non quia, uti putatur, sal commune acidum podagricum & morbificum imbibit, nam

sal

sal commune acido jam abunde est saturatum, quod spiritus acidus ex sale destillatus satis docet, qui non minus ad podagram valet, quàm corpus ex quo elicitus est, deinde falsò præsupponitur in podagra peccare acidum; verùm quia acidum, quod in sale communi prævalet, acrimoniam alkalinam humoris arthritici infringit, & destruit. Vulgo dicunt salem extrahere calorem ex corpore, das Saltz ziecht die Hitz auß. Unde quidam muriam halecum tanquam arcanum quoddam pro balneo artuum revelavit Dolæo. Fortis fomento ex decocto thymi, origani, satureiæ, calamenth. montanæ in aceto coctis se felicissime usum fuisse testatur, illud fortius reddi potest, si addantur rosæ rubræ, sumach, gallæ immaturæ, fol. quercus. Dom. D. Joh. Jacob Wepferus Medicus admodum clarus sequentem pulverem calide tumori podagrico imponere solet.

℞. *liquirit.*

fl. sambuc ā. ℥iß.

lithar-

lithargyr. ℥iij.
bol. armen. ʒiij.
ſal. nitr. ʒj.
pulveriſentur omnia. Vel ex lithargirio, ſaccharo ſaturni, bolo, cum aceto, albumine ovi, vel mucilagine ſemin. cydoniorum cum aqua roſarum extracta fiat nurritum. Nonnulli ex ſapone Veneto, olei olivarum ſ. q. & ceruſſa unguentum, addita, ſi opus eſt, camphorâ, contra podagram parant. Unde oleum ſaponis quoque ad defluxiones arthriticas uſurpari ſolet, quod melius cum calce viva, quàm cum argilla (ratio modo ſupra fuit oſtenſa) cum Friderico Hoffmanno libr. 2. cap. 41. §. 73. Clav. Schrœder. miſceri ſtatuo. Saponem autem non præter rationem inter medicamenta antipodagrica cenſeri, probat ejus præparatio. Conficitur enim ex cineribus & calce viva. vid. Hippocrat. Chymic. Tachen. cap. 4.

Notetur autem inter topica oleoſa, & pinguia omnino omittenda eſſe, quia dolor podagricus ab iis magis efferatur & irritatur.

Sca-

Scarificatio cum cucurbitulis, ut reliqua exsequamur, circa pollicis pedis monticulum in novilunio singulis mensibus celebrata, singulare est ad præcavendam arthritidem remedium. Felix Platerus, Salmuthus centur. 3. §. 46. cur. duorum meminit, quibus Chirurgum cucurbitulas cum scarificatione pollici manus & pedis applicasse saluti fuit, quod etiam alii mihi noti, salutare experti sunt. Tanquam certum ad præcavendam podagræ invasionem remedium, & â quo multi podagrici fuerunt sanitati restituti, deprædicatur à quodam auctore Anonymo, cujus libro lingua Germanica conscripto & edito titulus est, Vollkommener Land- und Leib-Medicus p. m. 1008. Si quis levem scarificationem cum cucurbitulis in ea parte pedis, ubi is in digitos excurrit, in principio omni septimana, deinde omni mense duobus vel tribus diebus, ante novilunium instituat, cavendo tamen, ne ea per negligentiam intermittatur, & chirurgus plura, quàm

quàm novem vel decem vulnuſcula phlebotomo cuti leviter infligat, neque pluries quàm ter cucurbitulas pauca flamma partiſcarificatæ imponat. Remedium etiam aliis hodie uſitatum ſucceſſu non carere ſuadet ratio: hoc modo enim cauſæ morbificæ alius exitus quæritur, atque ſeroſitas acris articulos impetere ſolita per cutim evacuatur. Illud tamen in praxi ſedulo nobis cavendum eſt, ne tàm in arthriticis, quàm aliis fluxionibus præſente tumore, dolore, & inflammatione cucurbitulis, & ſcarificationibus utamur, atque non ita diu eſt, quod rem malè ceſſiſſe in viro fluxione arthriticâ tentato notare licuerit, cui per cucurbitulas intempeſtive poſitas fluxio magis ad partem affectam in arthritide attracta, & pes in non parvum tumorem ſublatus fuerat.

In arthritide lymphatica, &, uti loqui amant, â cauſa frigida oriunda ſpiritus vini, in cujus partib. 3. ſumitat. & flor. rorismarin. part. 2. infuſæ ſint, in vaſe optime clauſo per 30.

horas,

horas, deinde in B. M. destillatus, convenientissimus est. Hujus aquæ ʒj. vel cochlear. 1. quotidie sumpto, & articulis & facie eo lavatis multos arthriticos dolores curatos fuisse, inquit Prævotius medic. pauper. p. m. 294. Substitui huic aquæ potest l'eau d'Hongrie, vel spiritus anthos.

Alii balneum in Laconico ex spiritu vini accenso parant, & ita sudores eliciunt. Felix Platerus tutissimum & efficacissimum anodynum conficit ex spiritus vini infusione croci flavescentis ℥iiij. camphor. ℈j. opii in eo dissol. ʒj.

Vulgatum est in omnibus defluxionibus frigidis remedium sapo Venetus optimus in spiritu vini dissolutus. Idem.

Balsamum sulphuris extolli: de le Boe Sylvius.

Articulorum inustiones cum lino crudo Cous noster præcipit, cui quidam recentiorum inustionem cum Moxa substituunt. De Moxa scribit

Dom.

Dom. D. Joh. Jacob Wepferus ſe eam aliquando cum fructu applicuiſſe, ſæpe ſtuſtra: ſi profunda ulcera inuſſerunt, graviter illam luebant. Cauteria laudat etiam Foreſtus obſerv. 12. libr. 29. Nec præter rationem & ſucceſſum; habet enim ignis articulos conſtringendi & corroborandi virtutem.

Fonticuli, veſicatoria multis fuerunt auxilio; in hunc finem Foreſtus cantharides cū melle anacardino miſcet, & membris podagricis imponit.

Hæc autem hactenus recenſita topica, licet egregiam vim articulos corroborandi obtineant, quandoque tamen neglectâ hâc intentione irruentis humoris conditionem reſpicere, & anodynis emollientibus, & humorum acrimoniam demulcentibus, dolori mederi cogimur: quale eſt mica panis albi cum lacte recenti bubulo cocta pro cataplasmate quod Joh. Dolæo in atrociſſimis doloribus præ aliis ſolatio fuit, addit Paræus crocum, Ballonius fol. hyoſciam. cum capit. papaver.

paver. & florib. chamomill, in lacte coquit, vel

℞. *fol. hyoſciam.*
ſolan.
ſemperviv. ã. man. I.
capit. papav. hortens. no. I.
rad. mandrag. ʒß.
fl. chamon.
viol. ã. p. I.

fiat decoctio in lacte pro ſotu. Illa duo autem in applicatione attendenda eſſe præcipit Petrus Foreſtus & alii, ut lac ſemper ſit recens, & ne illud nimis coquatur. Nam vetuſtate & coctura acreſcit; & ſuam emplaſticam virtutem amittit. Quare Turcæ capram ſibi in cubiculum adduci, ejusque lac ſupra partem dolentem emulgeri imperant, quod remedium Medicis, honores & lucrum quærentibus, in pretio habendum eſſe ducit Amatus Luſitanus. Ut lac ad dolorem ſedandum efficacius reddatur poteſt in ejus ℥ij. opii ʒß. diſſolvi. Opium cum pinguibus mixtum, & applicatum minus efficax reddi admonet vir Experien-

perientissimus Felix Platerus. Unguentum de limacibus laudat Digbi, vel ejus loco lintei mucagine limacum madefacti artubus dolentibus imponantur.

Cassiam in succo solani dissolutam Foreest. observ. 2. libr. 29. & observ. 6. cremorem lactis observ. 3. loc. cit. semen psyllii in aqua fervendissima maceratum, mixtumque farinæ hordeaceæ, mirabiliter dolores ac fervores mitigare in scholio observ. 5. libr. 29. docet. Nec stercus recens vaccinum in doloribus arthriticis in convenieus est anodynum. Lumbricorum pulvis cum farina calida membris dolentibus impositus, vel lumbrici terreni cataplasmisati magnopere juvant; succum lumbricorum cum vino expressum aliquando apprime conducere testatur Dolæus cap. d. podagrâ

Inter repellentia referri meretur aqua frigidissima, aut nivalis, quâ locum podagricum perfundere jubent Hippocrates, Platerus & alii. Ita curato-

ratorum exempla ex Hollerio notat Joh. Schenkius libr. 5. observ. medic. Nam per frigidissimæ applicationem sanguis arteriosus inflammans partem affectam deserit, atque interiora petit, non aliter ac per frigidissimæ applicationem etiam hæmorrhagias narium compescere solemus, vel colicæ passiones biliosæ dictæ per effusionem aquæ frigidissimæ supra ventrem, aut haustu aquæ frigidissimæ in multis à Joh. Forti fuerunt curatæ, vel odontalgia sævissima per aquam nivalem in ore retentam curata fuit, ut annotavit Zacut. Lusitan. libr. 1. histor. 66. observ. 46. & ego ante biennium illud remedii genus virginem quandam feliciter expertam fuisse novi. Curationem autem per affusionem frigidissimæ eo modo, quo multos podagricos ab injecto ingenti & subitaneo terrore restitutos fuisse accepi, succedere, non ambigi debet. Nostrates homines dicunt, das Geblüt wird erschröckt. Sed hæc omnia ægrotum adhuc validum, viresque à morbo

morbo non nimis proſtratas deſiderant.

Urtica recens contuſa & arteriis metacarpi pro cataplasmate impoſita fervorem ſanguinis æſtuantis temperat, & ejus commotionem præternaturalem ſiſtit.

Hæc hactenus tam interne, quam externe, ad curationem & præſervationem in quavis podagrâ commendata, uti quantum arti humanæ poſſibile eſt, tam Medico, quam ægroto ſatisfacere poſſunt, ita niſi etiam ægrotus in diæta faciat id, quod eſt ſui officii, omnis labor medentis erit inanis & truſtraneus; quare neceſſe, eſt ut podagrici optimam vivendi rationem inſtituant, ex præſcripto Medici vivant, & ita conatum Medici in curando ſua obedientia adjuvent, idque eo magis, cum experientia conſtet, nonnullos per ſolam accuratam diætam ſine medicamentorum ſubſidio â podagra liberatos, & ſanitati reſtitutos fuiſſe.

Primùm igitur omnium aër eligatur temperatus, cum is, ſi ſit nimis frigidus

Digitized by Google

gidus, humidus, articulos lædat; si nimis calidus, sanguinem ejusque spiritus nimium commoveat, & ad fluxionem arthriticam disponat. Unde paroxismi podagrici tempore verno & authumnali potissimum rectudescunt, non ac si eo ipso tempore, quod in respectu ad hyemem & æstatem temperatum est, morbus produceretur, verùm quia is suos fructus tempore verno & authumnali profert, cujus semen tempore hiemali & æstivo propter frigoris & caloris excessum conceptum est. Quare æstate æger in conclavi aura suavi perflabili degat, atque â solis ardore in umbras recedat. Tempore hyberno frigiditas aeris incenso igne temperetur. Ventosus & nebulosus vitetur. Suffumigia, quibus aer alteretur, â multis Medicis præscribuntur, verùm ego ea non laudo; nam sulphureæ atomi ex incensis odoriferis rebus aeri permixtæ, per nares in corpus attractæ, & sanguini comunicatæ eum nimis fermentescibilem reddunt, & in orgasmum præter-

ternaturalem impellunt: quo nomine etiam balsama odorifera, quæcunque fragrantia aromatica naribus admota vitari debent; immò omnium maxime ambra, zibetum, moschus, quem sanguinem ira impetuosum redderet observavit Frider. Hoffmann. Clav. Pharmac. Schrœder. ut, si accepto vulnere in thorace, nullo fluente sanguine, granum unum moschi sub lingua detinearur, is statim fluere incipiat. Habent enim particulæ ex rebus fragrantibus exhalantes maximam affinitatem cum spiritibus vitalibus, à quibus vis maxima cordialis procedit, verùm in podagra magis utile est, spirituum ferocientium vires iminuere, quàm (nisi forte attritis viribus à morbo inveterato) datis cardiacis eas augere.

Aqua fontana simplici, sive calida sit, sive frigida, manus & pedes pro more abluere cum Felici Platero noxium esse judico. Istiusmodi enim ablutio articulos lædit, laxat, emollit, & eos ad fluxionem arthriticam attrahen-

hen-

hendam disponit. Quare artus vino rubro abluantur, vel aq. chalybeata, in quâ myrthus, fl. quercus, & alia astringentia bullierint. Huic scopo etiam inservit aqua communis, in quâ calx viva fuerit extincta.

In cibo & potu sufficit, si podagrici ea fugiant, quæ nimium nocent; aliâs enim timendum est, ut nobis nimis rigidam diætam præscribentibus ægri non obediant. Sint autem cibi concoctionis facilis, jusculacichorio, petroselino, rad. acetosæ, ruscí, graminis, asparagi alterata, in ciceribus rubris egregia virtus antinephritica & antipopagrica latet. Ficus & passulas non rejicio, neque lacticinia cum D. Joh. Dolæo reprobo. Fructus cynosbatos, è quibus arilli exempti sunt, fructus berberum, tibium, fragarum sunt convenientissimi. Exulent cibi fumo indurati, saliti, saccharati, allium, cæpæ, sinapi, raphanus rusticanus. Aromata & quæcunque Venerem excitantia tanquàm noxiosissima sunt fugienda, quibus nil magis podagram

& nephritidem excitare valet. Non solùm autem qualitas in cibo capiendo attendenda est, sed etiam quantitas. Nam cibo nimis repleri nec bonum, nec utile. In potu vinum præprimis forte, generosum, ut Ungaricum, Franconicum, Rhenanum, est præsentissimum venenum, quorum usui cerevisiæ nostræ non recentes, sed defecatæ substitui possunt. Si autem dandum est aliquid consuetudini, vel stomachi debilitas usum vini exigat, bibatur vinum Neccaricum, tenue, & statim ab ejus potu aliquot nuclei mali persici, vel amygdalarum amararum comedantur, ita enim vino vis nocendi adimitur, illudq; diureticum evadit: vel illud decocto liquiritiæ, passularum, fœnum, hordei, cornu C. pro calidioribus, vel decocto ligni sassafras pro frigidioribus naturis, diluatur. Quid jam dicam de commessationibus, ebrietate, vel nimiâ vini ingurgitatione? cum intemperantia podagricorum pestis sit, & nil magis eos juvet, quàm temperantia. Quantum

tum ſpiritus vini noceat, ex dictis patebit. Nec fumigationem tabaci, niſi hominibus ſeroſis, & pituitoſis, neutiquàm verò bilioſis concedi debere, mecum omnes prudentes Medici conſentient.

Venerem quod attinet, podagricum, ſi in matrimonio vivit, ex ſuaviſſimis amplexibus ſuæ amantiſſimæ non extrahemus, hoc enim eſſet nimis durum, verùm illud Comici illi occinimus: *Ne quid nimis.* Si autem cœlebs eſt, atque ſuos affectus in amoris deſiderio regere poterit, tunc multum illi debebit ſanitas, ſi cœlebs permanſerit. Nam cogitet juxta Coum noſtrum, puerum non laborare podagra ante Veneris uſum, neque Eunuchum morbis podagricis infeſtari. Meminit Platerus cujusdam mulieris, quæ in matrimonio dum viveret, podagrica erat, eâ viduâ factâ per biennium optima ſanitate fruebatur, nubens denuo primâ nuptiarum nocte iterum podagra corripitur. Et Joh. Schenckius obſerv. libr. 2. p. m. 474. ex

Gainerio ſe multos arthriticos uxoratos vidiſſe refert, qui pro parte majoris temporis in lecto gutta deprehenſi permanebant, & mortua uxore rariſſime eam incurrebant, capti verò facile à paroxiſmo liberabantur, ex quibus & aliis veritas aphoriſmi Hippocratici, & quantum exercitium Venereum ad podagræ generationem contribuere poſſit, ſatis apparet.

In vigiliis etiam eſt modus tenendus Nam nimiæ vigiliæ & lucubrationes ſpiritus ſanguinis exagitant, eosque, ut cum veteribus loquar, accendunt; quare illorum nimia commotio ſuavi ſomno componenda eſt.

Iram, ſolicitudinem, ſpiritus, ſanguinemque turbando, eumque ad fluxionem diſponendo in podagra multum obeſſe, qui non credit, dignus eſt, ut ſuo malo experiatur, & diſcat, ſibi, ſi ſanus eſſe velit, ab hiſce animi affectibus temperandum eſſe.

Terror, inquit Helmontius, podagræ caracterem ſæpius enecuit, atque etiam ab aliis Medicis obſervatum eſt.

non-

nonnullos podagricos ab accepto ingenti terrore propter rem aliquam terribilem vel visam, vel auditam, à podagra liberatos fuisse, uti etiam Seneca libr. 6. de Benefic. cap. 8. metum repentinum animum in alienam curam avertendo, dolores podagricos aliquando curasse testatur. Sic referunt, cuidam podagrico cum ejus domus incendio consumeretur metum, ne & ipse conflagraret, morbum profligasse; aliis podagricis denunciatum mortis periculum; nonnullis spectrum visum, vel aliud terriculamentum subitò objectum, salutem & sanitatem attulisse. In bello trecennali Germanico urbs Hildesiensis à militibus Luneburgicis obtinebatur, à quibus Catholici hujus loci durè fuerunt tractati, interque eos Cancellarius Capituli Hildesiensis. Ad hunc podagra feroci decumbentem irruunt milites officiales, minis, strictisque gladiis nummos exigunt, is morbum causatur, inducias precatur, sed precibus nil obtinet. Unus enim ex mi-

litibus nudum gladium in pectus ejus intentat, minitans, ni properè locum monstraret, in quo suam pecuniam reposuisset, se subito eum ferro transfixurum, ægrotus, qui antea vix aliquot famulorum manibus è lecto levari potuit, tàm attoci terrore percitus sponte, quod mirum, se de lecto proripit, cum militibus de redemptionis suæ pretio paciscitur, atque non solùm tunc, verùm etiam postea, per longum temporis spacium ab incurabili morbo liberatus est, habens in deperditæ pecuniæ solatium, quod pretiosissimum sanitatis thesaurum recuperaverit. Joh. Petrus Lotichius libr. 6. capit. 1. observ. 5.

Lepida est historia, quam narrat Salmuth centur. 1. observ. medic. 48. Cuidam podagrico obvolvuntur manus & pedes cataplasmate ex rapis, similà, & lacte paratis, reponitur is in sellâ in conclavi inferiore ædium, abeunt domestici, digressi ad alia officia, in hortum ædibus contiguum, ægrumque solum relinquunt. Sus quædam

dam foribus non clausis ædes ingreditur, hypocaustum intrat, & olfaciens pulmentum illud, quo podagrici manus & pedes oblinitæ erant, ægrotum, pultem illam devorare cupiens, aggreditur, atq; eum cum sella in pavimentum prosternit. Hic, dum se â suo defendere nequit, diu multumque domesticos inclamat, ut sibi essent auxilio, hi tandem accurrunt, suem abigunt. eo vero die dolores imminuuntur, idque paulatim, donec prorsus cessarent, nec amplius rediret.

Illud autem verissime accidisse, & accidere posse, eo minus dubitari potest, quia per terrorem spiritus sanguinis arteriosi nimis volatiles quasi figuntur, ligantur, sanguis coagulatur, & vi quadam ab exterioribus partibus ad interna retrahitur, quod in terrore correptis expallescentia in facie, debilitas in pulsu, tremor in artibus satis ostendunt, fit præterea in magno terrore valida venarum & arteriarum ad articulos tendentium (quod etiam de affusione aquæ frigidissimæ, cujus

cujus modò ſupra mentio facta eſt, intelligendum eſt) conſtrictio, ut nullum amplius profundant ſanguinem; unde videmus metu deprehenſis, ſi vena ſecetur, vel nares ſanguinem profundant, vel nullum fluere, vel fluentem illico ſiſti. Quia igitur in podagra nimia ſpirituum comotio, & ſanguinis, ut ita loquar, fluxibilitas unâ cum articulorum laxitate peccat, non eſt mirum quosdam, per ingentem terrorem conceptum, quo illa fluxibilitas & laxitas corrigitur, deperditam ſanitatem recepiſſe.

Tandem de quiete & motu nobis ultimus ſermo erit.

Et ſane, ſi communem Medicorum opinionem de hac re audiemus, ea erit, ocium & deſidiam podagricis noxiam, laborem verò & exercitia iis eſſe ſaluberrima. Ocio enim calorem iminui, vires langueſcere, coctiones depravari, excrementa in corpore retineri, labore verò vires, calorem, augeri, coctionem & excrementorum ex corpore eliminationem & promoveri dicent omnes.

His

His rationibus per motus Galenus l. 6. aphor. 28. non minùs crapulam, quàm desidiam inter causas arthritidis ponit, Daniel Sennert. tract. de arthritid. homines laboribus deditos raró arthritide corripi inquit. Verùm, nec adductæ rationes, nec auctoritas Medicorum dictorum me movent, ut cum iis consentiam, imò potius me ipsis oppono, & dico, nihil in rebus naturalibus tàm sanum & salubre esse, quod ubiq; bonum & utile sit, & omnibus naturis conveniat, contra quoscumque morbos pugnet. Ita, si sanguis segniter effervescit, si propter defectum caloris decoctiones depraventur, vites imminuantur, aliaque vitia suboriantur, tunc non nego bono cum consilio motum & exercitia, quibus sanguini & spiritibus quasi stimuli & calcaria ad se movendum addantur, imperasi, at verò ubi adest orgasmus seu effervescentia spirituum, sanguinisq; nimia commotio, qualis adest in affectibus arthriticis, in quibus magis expedit per accuratam diætam & saluberrima remedia tumul-

antem sanguinem compescere, *motosque*, ut cum Poeta loquar, *componere fluctus*, quis ab exercitiis & laboribus, à quibus spiritus magis irritantur, sanguisque agitatur, non majorem noxam, quàm utilitatem expectet? si in podagra venerem, iram, & quoscunque affectus violentos exesse jubemus, ut sanguis ad blandam & naturalem effervescentiam reducatur, an non eadem ratio nobis dictitat, etiam ocio & quiete (ubi lenem deambulationem animi recreandi causa institutam excipio) irritatos spiritus demulcendos & componendos esse?

Si verò articulorum læsio & debilitas podagræ causa est, quis tàm cœcus est, qui non à labore articulos non solùm fatigari, sed etiam lædi, atq; ideo fluxionibus podagricis subjectiora reddi videat? si pars quædam corporis nostri morbo aliquo laborat, *tunc* ei suam functionem interdicimus, & quietem ab ea imperamus, id enim ad recuperandam sanitatem apprimè facere credimus; sic si mens male habet

bet, vel cerebrum ad ſuſcipiendum morbum proclive eſt, ſive ſit capitis dolor, vertigo, inſania, melancholia, ſive alius morbus, tunc hominem morbo iſtiusmodi correptum à ſtudiis & lucubrationibus abſtinere jubemus, & quidem prudenter. Si pulmo ægrotat, cantus & vociferationes noxias eſſe judicamus. Si ventriculus debilis eſt, non multi cibi & potus ingeſtio, ſed temperantia, ſed abſtinentia conveniet. Oculi dolentes & fluxione tentati à conſpectu luminis prohibentur. Cur autem, ſi articuli fluxioni podagricæ ſunt obnoxii, ii ſoli impune laborabunt, an quæ requies ceteris partibus corporis morboſis tantopere neceſſaria & ſalutaris eſt, ea ſolis articulis afflictis inſalubris & noxia cenſenda erit.

Immo ſi rem accuratius perpendamus, videbimus laborem & exercitia in genere minùs eſſe ſalubria, quàm quietem & ocium. Eſt enim labor violentum quid, & quod naturæ vim infert, alias labor non eſſet, omne autem vio-

lentum, & quod modum excedit, naturæ est inimicum. Si jam experientiam consulimus, quis grassantibus morbis epidemiis iis magis obnoxius est, quàm plebs operi dedita? quis inde periculosius ægrotat, quàm rustici & opifices? cum interim Monachi, divites, literati, in ocio (si modò literarum studium ocium apellari meretur) vitam transigentes horum morborum periculis non ita expositi sint. Ipse Hippocrates habitum athleticum exercitiis comparatum periculosissimum esse judicat. Nonne feræ in sylvis degentes & animalia (liceat ea in hac re cum homine comparare) ociosè viventia longæviorem & salubriorem vitam ducunt, quàm ea jumenta, quorum vires multis & continuis laboribus atteruntur, & eo ipso morbis obnoxiora redduntur? Rationes adductas quod attinet, nego divites semper in ocio vitam transigere. Nam illæ saltationes, choreæ, equitationes, venationes, exercitia athletica, & alia, quibus nobiles & aulici utplurimum

dediti

deditiſunt, ſtudia, uti politicè quandoque ocium & deſidia appellari poſſunt, ita medicè nunquam, ſed ingens labor. Si verò quidam ocioſe viventes in podagram & alios morbos proclives ſunt, quis eam noxam vitæ eorum ocioſæ, & non potius eorum intemperantiæ in vino, comeſſationibus Veneri, affectibus & aliis voluptatibus, quarum modum tenere neſciunt, imputaverit? cum è contrario opifices, pauperes, ſanitatem tanquàm temperantiæ præmium ferant.

Si jam quidam putant humores ab ocio corrumpi, ceu vitium capiunt, ni moveantur aquæ, tunc hos conſideraſſe velim, non ideo motum illum & efferveſcentiam naturalem, quæ in corde ſanguinis conſervandi gratia à naturâ inſtituta eſt, intermitti, aut ceſſare, nec minores ſanguinis corruptiones, aut leviora ſanitatis pericula à nimio ſanguinis motu timenda eſſe, quàm ſi is nimis tarde & languide efferveſcat, & moveatur. Quicunque igitur in podagrâ accuratam vivendi rationem

ſibi

ſibi eligere cupit, is non ſolùm temperanter vivit, verùm etiam labores & exercitia fugit, quietem amat. Si ei iter neceſſariò faciendum eſt, magis in thedâ, quàm equo vehi, vel pedibus ire convenit. Interim non me fugit, hominem ab omnipotente Deo ad laborem creatum, eumque non ſibi, ſed reipublicæ natum eſſe, cui maxime intereſt, ut unusquisque ſuorum civium & ſubditorum faciat id, quod eſt ſui muneris & officii, hominem ocio deditum, & nihil agentem male agere diſcere, animumque voluptatibus aſſuefacere. Verùm hæ admonitiones magis Theologum ac Politicum, quàm Medicum concernunt.

Sed jam ſufficiant hæc ad cognitionem & curationem podagræ à me hac vice prolata, reliqua quæ adhuc dicenda ſuperſunt, ex libris aliorum Medicorum petenda, vel judicio praxin Medicam facientis relinquenda ſunt, nam non omnia ſcribi poſſunt, & ut unica circumſtantia variat totum jus, ita unica totam curationem.

Appen-

Appendix.

Cùm hic tractatus Medicus de podagra, antequam typis fuerat expressus, in manus cujusdam Medici clarissimi incidisset, atque is unum alterumve dubium contra theses in eo contentas proposuisset, eo ipso rem pergratam mihi fecit, quod suis dubiis objectis mentem meam ulterius explicandi mihi occasionem dederit: uti enim silice chalybi allisò ignis scintillas elicere solemus, ita in disputationibus literatorum, nisi rationes & argumenta invicem collidantur, aureæ veritatis scintillæ nunquàm erumpent: quare placuit ad ea respondere, responsaque appendicis loco huic scripto annectere.

Et primò statueram unum paroxismum non facere podagram, sed pluribus opus esse: contrà illud infertur, unam invasionem cephalalgiæ, ophthalmiæ, odontalgiæ, nomine cephalalgiæ &c. insigniri, cur non ergo unum podagræ paroxismum, podagram meritò nominari posse? Ad hoc respon-

reſpondetur, in podagra non id uſu venire, quod in cephalalgiâ & aliis morbis uſu venit, quia in podagra ille ſolùm morbus podagræ nomine dignus cenſetur, qui ad minimum bis vel ter articulos afflixit, & qui quaſi ἕξιν ſeu habitum adeptus fuit, neque alius pro podagrico habetur, quàm qui jam aliquoties hoc morbo decubuit, ceu quoque in epilepſia unica ejus invaſio non eo nomine, ſed vel convulſionis vel alterius morbi cenſeri ſolet, licet non negari poſſit, primam podagræ, epilepſiæ invaſionem tàm fuiſſe podagricam, epilepticam, quàm vel ſecundam vel tertiam, vel eas conſequentes. Deinde inter ſigna diagnoſtica podagræ reiterata ejus acceſſio meritò referri debet, quia morbus in prima ejus invaſione propter ſimilitudinem, quam habet cum aliis morbis, vix dignoſci poteſt, ſed demum ſecunda & tertia vice rediens ſe, cujus generis ſit, oſtendit, atque larvam ſuam deponit.

Secundò in dubium venit, an ſolum ſerum ſanguine arterioso ſubtiliore & ſpiri-

ſpirituoſiore commixtum cauſa podagræ ſit, uti mea fuerat aſſertio, an non ſæpius ipſe ſanguis in acredine peccet, præprimis cum ipſemet in tractatu ſanguinis corrupti, aduſti mentionem feciſſem. At illam ſanguinis corruptionem & aduſtionem non impedire, quo minus ſeroſitas ſpirituoſiore ſanguinis parte ſtipata podagræ cauſa ſtatui poſſit, probat, quod hæc ipſa corruptio & aduſtio non aliunde proveniat, quàm â ſpiritibus nimis acribus, volatilibus, nimium effervescentibus, irregulariter commotis, ut ita, quod ſolummodo morbi effectus eſt, non ejus cauſa eſſe queat.

Tertiò negatur mihi ſanguinem unâ cum ſero commotum & ferociter tumultuantem in vaſis ægre coercibilem reſeratis arteriarum oſculis in articulos irruentem cauſam podagræ eſſe, quia talis ſanguis extravaſatus facile in pus converteretur, quod verò in podagra non fit. At me per ſanguinem non ipſam ejus ſubſtantiam, verùm ſubtiliorem ejus & ſpirituoſiorem

ſpartem

partem fero immixtam saltem intelligere modo dixi, atque etiam ex ipso tractatu eluceſcet.

Quartò locus obſcurus eſſe videtur, ubi dixi in cholera humores ſeroſos ad ventriculum affluentes in bilem converti, cum tamen hæc ſaburra materiæ biliosæ nihil aliud ſit, quàm ſerum per convulſivos fibrarum ſtomachi & inteſtinorum motus in ventriculi cavitatem expreſſum, & bili itidem ex veſicula fellea expulſæ commixtum, atque bilis tantam copiam, quanta ejus in cholera per vomitus excerni ſolet, repræſentans; cui ſententiæ non refragabor, ſi quis ulteriorem meæ exquirat, nam pluribus de cholera agere non ferebat mea intentio, quæ primariò ad podagram directa fuerat.

Quintò in quæſtionem vocatur, quomodo cucumeres, melones, affectum dyſentericum pariant, & an primaria hujus cauſa relaxanti earum rerū virtuti, quâ tonum ventriculi & inteſtinorum pervertunt, fibrillas eorum nervoſas emolliunt, & ita, acres humores

ex

ex massa sanguinea alliciunt, ascribenda sit, an non potius sali cuidam corrosivo in ipso cucumere, melone, latitanti, quod copiose ingestis his cibis atque propter debilitatem ventriculi corruptis deinde à particulis illud ligantibus liberetur, sui juris fiat, atque intestina exulceret, ceu quoque dysenteriam epidemicam à salibus corrosivis in aere contentis, & intra corpus nostrum assumptis progigni nonnulli Medici volunt.

At nullum sal corrosivum, exulcerans melonibus & cucumeribus inesse probat, quia ne minimum ejus extat, quod utut occultatum vel per gustum deprehendi, vel per enchirisin chymicam ex iis erui queat, & si aliquod sal acre hisce rebus inesset, quod in primis viis stabulans dysenteriæ parens esset, tunc eo per unum alterumve secessum excreto, egesto, ipse affectus dysentericus cessaret, neque ita diu sæpius duraret; interim facile mihi concedent authores Medici, fluxionem acrem & intestina exulcerandi

virtute

virtute prædictam in dyſenteria provenire ex ipſa maſſa ſanguinea; quod iterum tanta materiæ excrementitiæ moles, tot & ferè infinitæ excretiones in dyſenteria oſtendunt, quarum numerus & copia longe major eſt, quàm ut eæ â ſale quodam in inteſtinis ex corruptis cibis orto, contento, provenire queant, unde non probabile eſt, ſal illud acre, ſi quod in cibo & potu contineretur, primùm ad maſſam ſanguineam pervenire, eam inficere, atq; demum ad inteſtina proruere & non ſtatim ac in corpus pervenit, inteſtina afflicturam & exulceraturum eſſe: deinde aqua nive refrigerata atque affatim ingeſta non minùs dyſenteriam cauſari poteſt, quàm vel cucumeres, melones, & tamen in iſtiusmodi aqua ſal corroſivum ne quidem fingi poteſt, non ſecus ac cucumeres, melones, aqua nive refrigerata, etiam choleram producere valent, cum tamen *ſalis bilioſi* nihil in ſe contineant. Nihil magis autem falſitatem hujus opinionis proſcribit, quàm affectus dyſenterici

cura-

curatio. Neque enim radix tormentillæ, bistortæ, neque crocus Martis astringens, vel alia venenum corrosivum corrigere valent, & tamen unâ cum aliis hujus sortis remediis, in dysenteria curanda sunt potentissima? Quid opium? illud ad aufferendam corrosivitatem venenorum nil valet, & tamen ejus admirabilem, tutam & momentaneam in tollendo affectu dysenterico vim & efficaciam tot mille homines hoc morbo decumbentes experti sunt; ut etiam hîc de opio dici queat, quod de eo Theod. de Mayerne deprædicavit, nempe per illud rite præparatum & cum prudentia exhibitum, maxima fieri Medicinæ miracula, atque in eo artis Medicæ & artificum unicam gloriam quærendam esse.

Hîc utilissimæ rei, & nondum â Medicis satis examinatæ dignitas me iterum movet, ut ab instituto meo divertam, & parvam digressionem faciam. Nam licet in dysenteria multi experientissimi viri, interque eos Willisius, Wedelius, Ioh. Dolæus opiatorum

rum virtutem ſuſpiciant, & ſine eorum opera vix dyſenteriam curari poſſe contendant, ſunt tamen nonnulli, qui cum Minadoo Patavino, Auguſto Thoñero obſerv. 8. libr. 3. omnes dyſentericos, quibus opium â Medicis fuerat exhibitum in primum obiiſſe diem obſervarunt. Alii, ut Hoffmannus, experientiæ addunt rationem, & dicunt, ulcera inteſtinorum ab opio ſordidiora & putridiora fieri: qui Medicorum diſſenſus rei medicæ ſtudioſum ita ambiguum reddere poteſt, ut neſciat, quod credere & cui ſe parti applicare debeat, cum utraque rationis & experientiæ fundamentis nitatur, uti *ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.* Me quod attinet, opium multis dyſentericis mortem maturaſſe non nego, funeſti tamen exitus culpam non ipſi opio, quod innocens eſt, ſed præpoſteræ methodo illorum, qui eo intempeſtive uſi ſunt, imputandam eſſe dico. Nam ſi opium ſtatim in principio, & integris adhuc viribus ægroti fuerit exhibitum, tunc nihil

nihil mali ab eo timendum est, & ipsa experientia testabitur, illud esse tutissimum & præstantissimum contra dysenteriam remedium, ita enim non solùm irritatum archæum placabit, dolorem sopiet, sed etiam acrem fluxionem ad intestina ruentem illicò sistet, simulque impediet, ne aliqua corrosio & exulceratio ab acri fluxione in intestinis oriatur; si verò intestina jam ulceribus sunt obsessa, sphacelata, atque vires naturæ fractæ, tunc opium potè festum, uti vulgò loquuntur, venit, & ex securo remedio in deleterium venenum convertitur. Deinde opium non est dandum in dysenteria indolente, quod fit, syderatis à veneno dysenterico intestinis, uti prudenter etiam admonet Dom. Joh. Dolæus. Nam opium calorem nativum jamjam debolem omninò suffocat, & syderationem in statum planè insanabilem deducit.

Sed, ut ad propositum meum iterum veniam, urgeo, quod Zacutus Lusitanus clysteribus arsenicum, venenum

nehum sine dubio corrosivum pro dysentericorum ulceribus consolitandis immiscere ausus fuerit; quod Thomas Willisius conservam rosarum vitriolatam dysentericis commendaverit; alii iis syrupum berberum, ribium, aquæ immixtum pro potu exhibeant. Etenim si sal corrosivum in potu & cibo occultatum, & adhuc ligatum ad producendam dysenteriam tantum contribuit, quantum sal corrosivum manifestum, liberum, & sui juris factum, quale est arsenicum, & spiritus vitrioli, poterit, & tamen hi Medici talia remedia, in modica tamen quantitate & ad grana aliquot, cum successu contra dysenteriam dederunt.

Hîc occasione arsenici nonnullos Medicos & chymicos interrogare lubet, cur venenum dysentericum arsenicale esse asserant, cum tamen venenum dysentericum & arsenicale totis, iisq; contrariis viribus invicem pugnent. Nam venenum dysentericum exoritur â principio aqueo, arse-

nicale

nicale verò principium igneum in se fovet; venenum dysentericum est putredinale, arsenicale verò potentissime putredini resistit; venenum dysentericum ulcera inducit, arsenicali verò veneno maxima virtus inest fabrum ulceris, cruoris corruptorem (ut cum Helmontio loquar) enecandi; dysentericum venenum alvum citat, arsenicale, si Zacutum audimus, eam firmat; venenum dysentericum calorem nativum exstinguendo sideralionem intestinis inducit, arsenicale calorem nativum abeuntem strenuè revocando eam auffert; venenum dysentericum lacte, aliisq; humectantibus efferatur, arsenicale verò iis cicuratur, unde lac proprium antidotum arsenici est, quo dysenteriam curare, nemo nisi fatuus conatur.

Quare humores illos corrosivos intestina exulcerantes non ex sale corrosivo in cibo & potu, ut neque in dysenteria epidemica in aere contento provenire, sed ex ipsa massa sanguinea ad intestina proruere concludo,

effeque eos nihil aliud, quàm ſerositates ſanguine ſpirituoſiore & acriore acuatas, & ad inteſtina affluentes, cujus affluxus cauſa eſt læſio & offenſio, quam partibus ventriculi & inteſtinorum membranoſis & glanduloſis, frigidorum & emollientium vim ægre ferentibus, ſuâ inimicâ qualitate intulit uſus rerum tali qualitate præditarum, ſive aër ſit, ſive cibus & potus, ſive alia res. Hi autem humores modò pacifice in vaſis circulati, atque ſuum officium obeuntes, deinde propter partium ſolidarum offenſam irritati, & efferati, ad inteſtina fruentes in perniciem noſtram vertuntur, venenî naturam induunt, atqúe inteſtina exulcerant, quæ exulceratio in inteſtinis præprimis craſſioribus facillime fieri poteſt. Mentionem feci cujusdam militis in tractatu meo, cui in genæ ſuperiore parte ſub oculo vulnus ab alio fuerat inflictum, ex quo certis temporibus acerrima fluxio ad oculos decubuit, atque vulnerato militi intollerabilem dolorem cauſata eſt: ſi igitur

læſio

læſio partis glanduloſæ tantam fluxionem ad oculos ciere potuit, quid impedit, quo minus ventriculo & inteſtinis, partibus itidem glanduloſis & membranoſis à cucumere, melone, potu aquæ frigidiſſimæ, vel alio modo læſis, acris defluxio ad eas ruat, atque in iis dolores & exulcerationes cauſetur: quodipſum etiam innuere voluit Helmontius, quando in dyſenteria furorem archæi pylorici, archæum pylori excandeſcentem, & totam œconomiam turbantem accuſat, in quo eum multis aliis Medicis oculatiorem & ingenioſiorem deprehendo. Quapropter, quæcunque ventriculi & inteſtinorum tonum pervertunt, atque nervoſæ eorum ſubſtantiæ inimica ſunt, ea omnia, etiamſi omni ſale corroſivo deſtituta ſint, dyſenteriam producere valent, inter quæ, uti dixi, præcipua ſunt intenſe refrigerantia & relaxantia, hæc dum fibrillas nervoſas remittunt, atque humoribus ſubeuntibus viam aperiunt, illa dum rigidis ſuis particulis, uti eas Thom. Williſius,

fius, Joh. Dolæus nominant, ventriculi & intestinorum membranosam & glandulosam substantiam percellunt, & in motus spasmodicos concitant; è contrario dysenteriæ medentur omnia, quæ partes has corroborant, constringunt, humorum irruentium impetum sistunt, archæum irritatum mitigant, licet ad venenum corrosivum, exulcerans corrigendum inepta sint, immo ejus vires magis intendere posse videantur.

Quæ omnia de dysenteria dicta, quia etiam ad causæ podagricæ investigationem inservire possunt, me excusabunt, quòd præter meum institutum in prolixiorem hunc de dysenteria discursum prolapsus fuerim. Nam in podagra sal causticum, corrosivum, acidum, non minùs accusant multi Medici, quàm in dysenteria, qui, si interrogarentur, cur aqua communi lavare membra podagrica tàm noxium sit, cum tamen ea omni sale corrosivo, caustico careat, immo ejus vim causticam diluere & infringere possit?

possit? cur aer frigidus & humidus podagricis tàm infestus sit, & vicissim, cur pro curatione ea membris podagricis imponant, quæ partim nullam domandi veneni caustici corrosivi virtutem obtinent, partim ipsa sunt acida, caustica, corrosiva? certe non haberent, quod responderent, nisi mecum dicerent, aquam communem sua hostili refrigerandi & emolliendi virtute articulos offendere, earum tonum relaxare, à quarum læsione & emollitione, effœmination, uti loquitur Guilielmus Ballonius, sanguinis particulæ acres spirituosæ itidem efferatæ & serositatibus immixtæ ad artus alliciantur, in porulos harum partium se insinuent, easque pungendo, lancinando, dolorem podagricum excitent; quæ verò tonum articulorum corroborare & constringere valent, ea meritò etiam inter topica antipodagrica censeri, non obstante, quod quoad ceteras qualitates sint acida, caustica, corrosiva.

Sextò, asserui, corizam â ventis & aëre

äere frigido excitari, quia ab iis immediate glandulæ afficiuntur, quibus affectis humores ſeroſi ad eas attrahantur, quia verò quomodo hæc attractio ab aere & ventis fiat, non docui, ideo ejus rei cauſæ explicatio à me deſideratur. Quare dico, per aerem frigidum, ventoſum, per inſpirationem attractum, lædi & offendi fibrillas nervoſas glandularum in ſummitate naſium, vel in iſthmo fauciũm poſitarum, quæ fibrillæ propter læſionem in ſe criſpantur & contrahuntur, quâ contractione exprimitur ſeroſus ille humor, qui in arteriis capillaribus in dictarum glandularum ſubſtantiam deſinentibus exiſtit, quæ vaſcula exinanita aliam limpham ex ramuſculis majoribus recipiunt, atque illa iterum ex aliis aliam, & ita etiam ille humor ſeroſus, qui in venis & arteriis remotioribus & majoribus reperitur, eluxriatur & evacuatur, qui ad nares, fauces, ſeſe effundens, corizam, tuſſim progenerat. Hoc modo etiam acria, ut fumum, ſinapi, raphanum ruſticanum,

num, allium, cæpas, fluxiones & lachrimas ex naribus & oculis, elicere, item masticatoria salivam ex ore provocare, nec non purgantia, emetica, virtutem suam in ventriculum & intestina exserere credo.

Immò in cholera, bilis, in dysenteria humoris acris exulcerantis affluxum per læsionem & irritationem glandularum stomachicarum & intestinalium eodem modo accelerari nemo dubitabit, qui rem mecum attentius perpendet. Ipsos articulos glandulosis corporibus instructos esse primus est, qui observavit D. Doctor Clopton Havers Anglus, in ex suo curioso & utili tractatu, Osteologia nova appellato, patet. Nam quo ossa sine impedimento moveri possent, his sagax natura glandulosis corporibus, in ipsa ossium cavitate constitutis, providit, quæ mucosum humorem elaborarent, quo ossium extremitates illinerentur, & ad facilliorem motum lubricitarentur: non secus ac januæ cardines unctuoso humore obliniuntur, quo commode

modo aperiri & claudi possit, atque hæc ipsa corpora glandulosa in fluxionibus arthriticis primariò affici & lædi eo minus ambigo, quia etiam in aliis morbis, ut cholera, dysenteria, coriza, tussi, ophthalmia, fluxu uterino, causa fluxionum præternaturalium vix ulli alii rei, quàm læsioni glandularum attribui potest. Etenim quas partes in statu naturali seri laboratorium & officinam esse constat, eas ipsas morbo afflictas in statu præternaturali fluxionum præternaturalium causam esse admodum probabile est.

Si igitur in podagra, arthritide, articulorum læsio, debilitas accusatur, potissimum glandulas ossium mucilaginosas modo laudato D. Havers appellatas, intellectas volo, in hoc verò non consentio cum hoc Viro, quod is sanguinem spiritu nitroso vitiatum motu critico per dictarum glandularũ cataractas se exonerare contendat. Nam fluxionem arthriticam non per modum expulsionis, sed attractionis fieri jam validis argumentis evici. Interim

tim lubens concedam nihil magis defluxionibus arthriticis ansam præbere, quàm frigoris susceptionem, cum frigidum glandulosis offium corpusculis admodum infensum, atque suis rigidis particulis eorum fibrillas pungere, vellicare, puogendo, vellicando contrahere, convellere, contrahendo, convellendo humores acres, seroſos ex massa sanguinea attrahere, allicere, & sæpius eorum orgasmum præternaturalem concitare potens sit.

Septimò negavi dolorem esse à solutione continui, sed opponitur solutionem continui utique etiam pro causa doloris habendam esse, quia in ipso vulnerationis actu dolor sentitur, & quia quævis vulneratio distentionem fibrillarum secum conjunctam habet. Verùm prius non semper verum esse indies experiuntur vulnerati. Novi quendam Pastorem inopinatò ab alio vulneratum fuisse, ille adeo nullum dolorem in ipsa vulneratione sensit, ut statim in principio nesciverit sibi pedem glande plumbea tra-

trajectum fuisse, quod etiam alii fatebuntur. Porrò, si dolor â solutione continui esset, sequeretur omnia ulcera necessario dolorem comitem secum habere, quia in omnibus adest solutio continui, sed multa ulcera doloris expertia esse nimis notum est, quàm ut negari possit: sequeretur etiam quo grandius & profundius esset vulnus, eo majorem etiam dolorem inferret, quod falsum esse iterum probat experientia, quâ constat, sæpius leve vulnusculum & puncturam majores afferre dolores, quàm vel maximum & profundissimum vulnus. Cetertim vulnerationem, distentionem fibrillarum nervosarum cum solutione continui conjunctam habere non prorsus negabo. Si igitur in ipso vulnerationis actu dolemus, illud accidit non eatenus, quatenus propter vulnus continui solutionem, sed quatenus distentionem fibrillarum nervosarum partes corporis nostri passæ fuerunt.

Octavò dixi, calculum & tophos podagricos ex seri particulis terrestri-

oribus

otibus non verò ſalinis & tartareis conflari, ſed mihi authoritas Tackenii & Kerckringii per ignis examen præſentiam ſalini principii ſufficienter demonſtrantium objicitur ; verùm me principium ſalinum in calculo & tophis non omninò negaſſe, ſed affirmaſſe ex eo apparet, quod ſpiritum acrem alkalinum calculi & tophorum podagricorum cauſam efficientem eſſe pronunciaverim, dum autem contendo, calculum & tophos conſtare ex particulis terreſtrioribus, easque materiam calculo præbere, ſaltèm mihi res eſt cum illis, qui materiam & coagulatum calculi naturæ ſalinæ & tartareæ eſſe volunt, maximum enim diſcrimen eſt differere de cauſa calculi materiali & efficiente. Uti autem de materiali ſatis conſtat, ſita de efficiente res eſt adhuc maxime intricata. Acidum volatile calculi coagulatorem eſſe multi volunt, verùm hoc non eſſe poſſe, cum Sylvio ſtatui, quia acidum calculum reſolvit, deſtruit, & acida in nephritide interdum cum utilitate exhiben-

hibentur, quâpropter potius dicendum erit, illud calculi causam esse, quod particularum terrestrium in lotio contentarum præcipitationem adjuvat. Ita calculum, tophos in podagra, nephritide gigni existimo, quia spiritus acer mordax, articulos & renes inflammando & exsiccando præcipitationem molecularum terrestrium in lotio contentarum non parùm promovet. At calculum per præcipitationem generari probat exemplum mulieris illius Patavinæ, cujus supra mentio facta est; rem illustrant fontes & aquæ nonnullæ, in quas ligna injecta non verè, uti aliis videtur, lapidescunt, sed saltem crusta lapidea obducuntur. Istiusmodi aquæ saporem habent acerbum, acidulum, qui satis indicat his sal acidum non deesse. Hujus autem effectus ratio est, quia hæ aquæ infinitam molecularum terrestrium à sale acido corrosarum quantitatem in se recondunt, post quam verò lignum in eas fuit injectum, tum alkali ligni absorbet sal acidum

cidum aquæ immixtum, quo absorpto particulæ terrestriores suo resolvente sale destitutæ necessariò ad latera ligni deturbantur, eique adhærescunt. Quandoque spiritus acidulus sponte exspirat, atque moleculas in liquore ab eo comminutas spònte dimittit. Quapropter acidum in calculo nunquam erit principium coagulationis, sed semper resolutionis, licet alii hoc parùm attendant, & dicant: calculum simili indigere solvente, & solvens cum soluto ejusdem debere esse naturæ, quæ ratio quid sibi velit, & quomodo probet acidum volatile calculi coagulatorem esse non penetrare possum. Nec requiritur, ut solvens cum soluto sit ejusdem naturæ: acetum solvit margaritas, oculos cancri; aqua fortis, argentum; aqua regis, aurum; & tamen naturæ margaritarum, oculorum cancri, argenti, auri plane disconvenit cum natura aceti, aquæ communis, fortis, regis, nisi intelligamus hanc naturæ convenientiam in eo consistere, ut in solvente adsit

certa

certa molecularum ejus proportio & figura, quæ illud ad ſubeundum porulos corporis ſolvendi aptum reddat; ita corpuſcula aquæ fortis certo modo figurata idonea ſunt. ut intrare poſſint porulos argenti itidem certa figura præditos, quæ verò aqua fortis aurum intactum relinquit. Etenim, ut non quælibet clavis omne clauſtrum reſerat, ita corpuſculum cubica forma donatum non poterit cuniculum agere in porulum triangularem, atque porulus rotundus excludet corpuſculum aliter figuratum.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google